



DE
LINGUARUM
ARTIFICIO.

DE
LINGUARUM
ARTIFICIO
ET
DOCTRINA.



PARISIIS,
Apud Viduam ESTIENNE & FILIOS, viâ Jacobæâ, sub signo Virtutis.

M. DCC. LI.
Cum Approbatione & Privilegio Regis.





PRÆFATIO.

De Linguæ Atticæ ſtudiis apud Romanos, & Latinæ apud Noſtrates.

IN iis quæ diuturnâ publici ſtudii conſuetudine quaſi ſancita ſunt, ſi quid ineſſe vitii, experientiâ teſte; deprehendimus; non ſunt propterea novæ rogandæ leges, non priſtinus evertendus ordo. Sic fieri neque ſuadet prudentia, neque jubet utilitas, imminente alterius periculi metu. Si tamen potuerit illud, quod à recto devium eſt, inflecti leviter & in melius reduci, manente interim veteris inſtituti formâ quæ hactenus fuit; tum verò malum alere velle videretur quiſquis utilitati ma-

nifestæ non daret manum: nisi forte ita sibi induxerit animum, quæ facere ipse consuevit ea esse summoperè bona, nec jam ex ullâ parte aut cujusquam monitu meliora fieri posse necesse sit.

In tradendâ litterarum disciplinâ sic se res habet. Querimur illam gravissimo incommodo affici & retardari. Remedium verò cum præstò sit & exploratum & facile, laudant quidem alii, at reverentiâ consuetudinis omittunt; alii horrent præ studio initæ semel rationis, ac temerè accusant. Mali ante omnia naturam quæremus & caussas, quo certius quid & rectius de remedii virtute statuatur.

Veterum linguarum usus apud nos in dies minor, in Septentrionali Europâ barbarius.

Mirari sæpe numero nec sine caussâ solemus in maximâ Magistrorum copiâ, maximâ discentium multitudine; cum linguarum studia, veterum præsertim,

tantum afferant apud nos adjumenti vel ad rerum ſcientiam, vel ad opes, vel ad dignitatem; emergere interea è ſcholarum latebris tam paucos, qui ſtylum in iis linguis exerceant feliciter, aut earùm tolerabilem ſaltèm fuerint intelligentiam conſecuti. Longo adoleſcentiæ decurſu, multorum denique omnis eò recidit labor, ut ſint in monumentis Græcorum planè hoſpites; & cum ad ea quæ verè latina ſunt accedere nullo duce voluerint, illos inde abſterreant offendicula, laſſitudo, tenebræ.

Non ignota loquimur. Noſtratibus enim, ut Italis & Hiſpanis, ubi primùm liberiùs vivendi poteſtas eſt, idem prope omnibus mos in domeſtico ſuo ſermone conquieſcere, Græcis ac Latinis æternum vale dicere:

in quo ut laboris ingrati ſic deperditi temporis non obſcura confeſſio eſt.

In Septentrionali Europâ, ubi eſt Linguæ Latinæ uſus frequens, crederes in dicendo ſcribendoque, plurimum pariter eſſe Romanæ urbanitatis uſum: vulgò nullum eſſe reperies. Audiuntur illic voces Latinæ paſſim: Latinus ſermo nuſpiam; ſed pro venuſtate Romani eloquii ſtylus vulgò inconditus & inſulſa loquacitas. Bonorum ejuſmodi, qui ſapiet, erit ſemper paupertimus.

Quam nos eruditionem in Latinis litteris tam multi inquirimus, tam pauci obtinemus; eam repetebant Romani à Græcis. Romanorum autem pueris obtigit conditio hâc noſtrâ melior, & fortuna ſtudiorum longè diſpar. Qui publicæ luci deſtina-

bantur, iis ſedulò proviſum prope omnibus fuit, ut poſſent Atticum ſermonem non ſolum intelligendo aſſequi, ſed uſurpare quaſi ſuum, expeditè ſcilicet & purè: ex quo factum ut omnis illa Græcorum ad Romanos urbanitas & induſtria derivarentur.

Quid cauſæ igitur eſt cur potuerint Romani à teneris annis doceri ſermones utriuſque linguæ; noſtrates per tot annos tot ſcriptionibus Græcis & Latinis exercitati, in Gentis utriuſque monumentis omninò cœcutiant, ab utrâque linguâ pariter abhorreant, cum ſuæ intereà ſint periti tam mediocriter.

Debuit Romanis tamen videri uſus Græci ſermonis operoſior quam nobis Latini. Voces enim Gallicas Latina lingua, ut plurimùm, ſuas agnoſcit; Græ-

ca, Romanorum vix aliquas. Linguæ in Meridionalis Europæ partibus jamdudum vulgares, à Romanâ oriundæ, matris plurimam ſimilitudinem ſervant: unde & facilior per eas ad illam ingreſſus. Latinæ verò & Græcæ conſanguinitas omninò nulla, nec prioris uſu promptior aditus ad alteram fuit. Quod ſi res agitur nobiſcum minore cum impedimento, cur non & feliciori eventu?

Tantam diſparitatem peperit non ſanè natura in nobis degener, ſed cultus in illis melior, & forma rudimenti litterarii magis conſentiens cum naturâ humanæ mentis; cumque propoſito ſtudiorum fine cohærens aptiùs.

Quæ fuerit illa Romanorum conſuetudo ſatis conſtat Ciceronis & Attici exemplis, Inſtitu-

tionibus Quintiliani (*a*), Parallelis Plutarchi, & obviis passim testimoniis.

Ubi primùm depulsi à lacte pueri pedibus insistere cœperant, & è gremio nutricum evagari, moris erat servos iis addi custodes, natione Græcos, nec inelegantes, nec ignaros litterarum, qui hærerent lateri, qui Græca sonarent infunderentque frequenter auribus incogitantium, qui non solùm loqui ore rotondo possent, sed & rem vero nomine appellare, & voces legitimè lectas legitime construere, & cum nihil docere viderentur, esse Magistrorum loco. Hos primùm audiebat puer: horum verba effingere imitando conabatur, & ipsa au-

(a) *Quintil. Instit. lib.* 1.
Plutarch. Parall. Demosten. & Ciceron.
Et The History of the Life of M. Tull. Cicero; by Conyers Midleton.

diendi aſſiduitate reddebat.

Sic Romani parentes in liberis inſtituendis, & priuſquam eos mittere in ludum publicum poſſent, à ſermone Græco initium duci plerumque maluerunt, Latina ſubſequi aut pariter ire, & cum æquali curâ linguam utramque ita tuebantur, ut neutra tamen alteri officeret, quia Sermo Latinus cum eſſet obvius apud Italos, puero præberet ſe vel nolenti.

Hoc etiam adeò ſuperſtitiosè à compluribus factitari ſolitum, ut puer [a] « Diù tantum Græcè & loqueretur & diſceret : » unde accidebant oris plurima » vitia in peregrinum ſonum [b] » corrupti, & ſermonis à Romanâ figurâ [c] penitùs alieni.

[a] *Quintil. ibid.*
[b] Prononciation.
[c] Tour.

Quod incommodum cum deprehenderetur inemendabile in multis, alii ut, priuſquam ſub-

nafceretur, averterent; volebant confultiùs filios fuos effe cum Græcis quidem hominibus affiduos, non tamen familiarium colloquiis & patrii confuetudine fermonis abftinentes.

Politiorem igitur apud Romanos litteraturam promovit ante omnia fermonis Græci perpetuus, nullo tamen labore, fed quafi per ludum curfitandoque comparatus ufus: ufum fuo tempore meditatio & fcribendi cura fequebantur. Apud nos aliter.

Latinè fi quid hîc difcitur, id pueri, & quod pejus eft, pueruli feptennes extundunt à fe ipfis, creantque de fuo. Scriptioni grammaticæ dare operam, legibufque merè logicis obfequi jubentur, quibus necdum parta ratio eft. Sedent mifelli, quibus pruriunt pedes. Silent. Vefti-

gant. Probant. Reprobant. Latina denique, si superis placet, exscribunt & laudem merentur non sine diverso jam virtutum gradu, cum idiomatis Latini gustum perceperint omninò nullum, non certè majorem quam Magellanici vel Peruviani.

Nec legibus gravantur solummodo difficilibus, at etiam plerisque falsis : ita ut crimine arguantur ubi nihil criminis est, & cum plausu coronentur ubi peccant quàm maximè. Jam necesse igitur est eos malis regulis malè regi. Ecce tibi aliud malum.

Qui sic à grammaticâ scriptione, veterum linguarum initia ducunt, sequuntur in componendis vocibus ordinem materni sui sermonis, qui ordo cum sit omnino diversus à veterum;

ad veteres non patefacit aditum, ſed obſtruit.

His adde, quod inferiorum ſcholarum ſcriptitationi ſuccedat in ſuperioribus Linguæ veteris uſus ſatis infrequens, ſemper meticuloſus, ut plurimùm deformis, ac poſt aliquot annos nullus.

Diſcrimen inſigne! Romanorum mos ſecundum naturam. Diſciplinæ apud eos gradus explorati ac tuti, primùm Græcè balbutire inter probè loquentes, deinde loqui confidenter, venuſtè demùm & ex arte ſcribere. Noſtris rerum inverſus ordo. Latinè ſcribunt pueri: cum adoleverint, balbutiunt: viri facti, tacent.

Eſt autem & alia non minor perverſitas, longiſſimis nempe tot inutilium præceptionum tædiis nihil niſi odium litterarum

laboriſque fugam ſequentibus annis acquiri.

Incommoditas denique huc præcipua redit : ſi Latinè ſcribat quis , priuſquam Latinè didicerit , aſſequetur veteris linguæ ſcientiam vel nullam vel pravam.

Latinæ litteræ hîc deſpectæ, illic barbaræ , notum malum. Mali cauſa , quam aſſignamus , non pariter in confeſſo eſt. Cum pluribus igitur ſit aliter viſum & viris de re litterariâ benè meritis ; bonâ fide ipſis ut nobis inquirendum eſt in fontes & origines ejus tarditatis quâ ſentiunt ſua vota & diuturna tam multorum ſtudia optato fine defraudari.

Nemini ſcilicet eorum ignotum eſt puellam ſive Londinenſem ſive Florentinam , ſi verſatur Pariſiis vel ſpatio unius an-

ni, etiam nulla legentem aut ſcribentem, Gallicè ſcire & loqui; cum interim plerique eorum qui publici ſtudii novem annos emenſi ſunt, Latinè nec legere poſſint nec mutire audeant.

Quapropter tantam temporis jacturam vel expertis probro noſtro vel edoctis alieno, nobis paulo diligentiùs nunc definiendum eſt ex ipſo conditionis noſtræ ſenſu, experientiæque teſtimonio quæ debeat Linguarum doctrina reliquis anteponi, ut careamus inutili, & uſurpemus laudabilem.

Eo fine duplex eſto totius rei caput. Prima propoſiti operis pars diſquirere quæ ſit omnium linguarum primaria quaſi compages & mechanica ſtructura. Labor alter perſpicere quæ diſciplina ratioque docendi fluat

Operis diviſio.

1. Quale ſit artificium linguarum.

2. Quæ profluat inde docenti diſciplina.

ex illo naturali necessarioque linguarum artificio. Duplici sanè titulo probabitur cordatis omnibus ejusmodi forma studiorum, quæ nobis innuitur ipso notissimo nostri intellectûs usu, & minimè ambiguis instituti pristini legibus præscribitur.

Eam materiem quæ neque est injucunda per se, & in quâ falli impunè nemo potest; cum in rerum naturalium Spectaculo attigissemus, inito sermone de primario humanæ societatis vinculo *, multi nobis autores fuere, uti hæc operis pars typis ederetur seorsim, tum nostro vulgari sermone, tum communi eruditorum linguâ.

Causam cur ita fieri vellent eam repugnanti afferebant, operæ hujus utilitatem intra patriæ limites non sic debere concludi;

* Spect. de la Nat. Tom. 6.

tantò plùs laudis mereri ſcholarum rectores, me ipſo admonente, quantò magis eſſent ſecundum ſtatuta in prælegendis veteribus aſſidui; mirum ab eâ lege quantum & quam multi ubique locorum, minimè malo animo tamen, & ſpecie boni, diſcederent; eſſe illos veterum parcos cultores, parciſſimos interpretes; intereà totos in dictandis argumentis & emendandis tyronum ſcriptionibus; conſtantiâ ipſâ ſcriptionis hujus, habitum falſæ Latinitatis induci, & falſitate deinde ipſiuſmet emendationis in dies confirmari; moris igitur tam abſurdi, tam latè patentis adornandam eam eſſe confutationem quæ legi ab omnibus poſſet: ea cautione tamen ut Magiſtrorum veterum notaretur imprudentia, non eorum deprimeretur labor, quos re-

cepta dudum consuetudo quasi per vim subigeret ; his consuli potius ; horum rem agi non minus quam ingenuorum prope omnium quibus quantùm cupiant se esse utiles ignotum est nemini ; institutam duplici fine disputationem proponi utrâque linguâ par esse ; nec enim ad exteros , qui Gallica nostra legere non possunt , neque ad nostrates qui opere longo carere volent , aliter esse perventuram.

Angebat me alieni sermonis imposita lex , & valdè suspecta meæ Latinitatis conditio : quam etsi feceram diuturnâ veterum lectione utcumque meliorem , metuebam Gallicismorum in scribendo insidias , & ipsam perversissimi rudimenti tenacitatem.

Verum affert ejusmodi noxa

ſecum aliquid excuſationis. Neque enim ſumus ex eorum numero, quibus mediocribus eſſe non conceditur, qui ſua proponunt ad imitandum, qui veniæ denique nil ſperant. Nos eo animo Latinè ſcripſimus, ut in linguarum ſtudiis & in ſtylo comparando, quantùm peccetur, quantùm Exteri præſertim à Scopo exerrent, id Exteris oſtenderem. Quod autem habitura eſt oratio mea vitioſi, eo ipſo cauſa mali, quam quærimus, apparebit: erunt ea Latinitatis ab ineunte ætate & ab ipſo rudimento corruptæ reviviſcentia ſemper germina.

Quanquam ergo in materie non ignotâ libellus iſte verſabitur; eam novo rerum ordine retractabimus, eam novo argumentationis genere aliter proferemus in lucem, ut magis ac

magis admoneantur omnes, magno molimine juvenum depravari ſermonem, cum facilè poſſent ad omnem potius elegantiam perduci, ſalvâ rei litterariæ formâ; non afflictâ, ut priùs, docentium valetudine; auctâ diſcentium alacritate.





LIBER PRIMUS.

LINGUARUM

COMMUNE ARTIFICIUM.

N omnibus omnium gentium linguis aliud eſt quod natura ſuggerit, & per ſeſe præſtat ſimul degentibus familiis; aliud quod hominum fuit arbitrio conſtitutum. Quod natura ſuaſit, illud apud omnes unum, ſemper ſimile ſui, nec unquam tantiſper à ritu primævo deflexit. Quod hominum voluntate fortuitiſque rerum caſibus invectum eſt, in eo deprehendi ſolet ſumma pro temporibus & locis diſſimilitudo, minimèque ſtabilis tenor.

Quanquam autem primarium naturæ opus & fundamentalis ordo loquendi, eventuum viciſſitudine, immutari evertique videatur; in tantâ tamen diverſiſſimè agentium, diverſiſſimè loquen-

tium populorum mobilitate naturam agnoſcas, quæ aboleri non poteſt ac nequidem abſcondi.

Naturæ ſapientiſſimus artifex hoc munus hominum ſocietati præſtantiſſimum conceſſit, ut, cum jam poſſent nutu capitis, oculorum quoque & vultûs univerſi conformatione, manuum præterea motibus totiuſque corporis actione, vel aliis etiam ſignis in conſpectum datis, res objectas & animi ſui ſenſa declarare; omnia tamen ſono vocis & ipſa volubilitate linguæ longè aliter efferrent: erat enim in ſonis major diverſitas pro rerum numero: erat in iiſdem ſonis naturalium ſignorum perbreve ſupplementum; mira denique celeritas. In omni ergo idiomate, in omni hominum cœtu nihil aliud eſt locutio niſi humanæ cogitationis expreſſa imago: ita ſanè ut quot ſunt cogitationis quaſi neceſſariæ partes, locutionis totidem ſint.

Cogitandi forma. Ubique autem terrarum conſtantiſſimè ſolet humana mens intellectu & ſenſu rerum percipere ſpecies *, eas deinde affirmando conjungere, vel negando diſgregare; inferre etiam ex uno judicio alterius materiem, & cauſas obtinere ex eo quod aſſeruit, aliud

* Idées.

quod proximè adjunctum ſit, aſſerendi; aut ex eo quod jam aſſecuta eſt ad alia & ulteriora perveniendi.

Tum ſicubi ſenſerit mens vel boni præſentiam, vel ſuſpicionem periculumque mali, neceſſe eſt eam propelli amore aut odio, variiſque incitari affectibus, quos uti moderetur & ſibi obtemperantes habeat, eam ſua libertas conſcientiæque ſenſus, & impoſitæ leges monent.

Humana hæc: omnium temporum ſunt & locorum. Neque Americano homini minus quam Europæo comparatum eſt ut poſſit & pulmonibus haurire ſpiritum; & intellectu de rebus obviis exercere qualecunque judicium.

Ex quo efficitur eandem operandi ſimilitudinem quæ in omnium mentibus, communique ratione judicandi deprehenditur, in eorum pariter ſermonibus exiſtere, quibus illi quæ ſibi ſunt cogitata & placita ſignificant. Nec magis arte vel induſtriâ conſequitur quis ut loqui poſſit & proferat indicia judicii ſui, quàm conſecutus induſtriâ ſuâ eſt ut haberet has & illas corporis animique facultates. Sic priuſquàm nata ulla vel logica vel grammatica fuerit, habet unuſquiſque populus unaquæque

societas, ab ipsâ naturâ, sui sermonis usum, sermonisque necessarias & nullibi gentium dissimiles partes. De his breviter.

Sermonis forma & necessariæ partes.

Si quis enim quid, quocumque loco, quâcumque linguâ, eloquitur, inerunt ejus orationi primaria membra ubique totidem, quæ judicium mentis articulatim quodammodo imitentur & proferant. Agunt, obeunt suum munus ea orationis membra, vel sic discreta ut numerari possint & assignari; vel sic ex arte coalescentia, ut plurium simul vox una sustineat vices, nec desideretur absentis officium. Quidquid valent istæ voces *ego eram cantans*, id continet, alteriusque clausulæ beneficio satis præstat vox unica: *cantabam.* Quod quatuor pluribusque vocibus enunciant operosè Galli, Itali, & Angli, *qu'ils ayent senti, ch' eglino habbiano sentito, that they may have felt*; id bellè Latini unicâ, *senserint.* Ubi enim manente vocis primariâ significatione, adjectitia clausula satis designat actionis tempus & personam agentem, tunc brevitati consulunt veteres: alia sic jam superflua signa temporis & personæ omittunt ut plurimum.

1. Nomen substantivum.

1. In illa igitur nostri sensûs inter-

prete oratione ſtat poſitum inſigni loco, aut agnoſcitur, inſigni clauſulâ, rei nomen quam vel eſſe vel agere ſignificamus, ſive rei ſimplex fiat mentio; ſive aliquis ad rem acceſſerit modus. Nom. adjectivum.

2. Locum pariter conſpicuum tenet pronomen, ſeu repræſentativa vox quæ nominis jam prolati reditus frequentes excludit & penſat. 2. Pronomen. Repræſentativum. Ille, illa, &c. ipſe, ipſi.

Pronomina dici etiam ſolent generaliſſima quædam nomina, quæ rebus valdè diverſis competunt, ubi fuerint in conſimili caſu poſitæ.

Perſonale deſignat ſuppoſitum ſeu perſonam quæ loquitur, aut perſonam de quâ ſermo eſt; aut eam denique ad quam ſermo dirigitur. Perſonale. Ego, nos, tu, &c. ille, illi, &c.

Poſſeſſivum poſſeſſionem rei præſignatæ perſonæ attribuit. Poſſeſſivum. Meus, veſter, &c.

Demonſtrativum indicat rerum præſentiam, viciniam, diſtantiam. Demonſtrativum. Hic, iſte, ille.

Relativum denique vel res ipſas, vel rerum attributiones, de quibus ineundum judicium eſt, dilucidat, adnexo iis declarativo judicio, quo earum conditio penitùs conſtituatur, tutiuſque de illis judicium ferri queat. Relativum. Qui, quæ, &c. Terra (*quam calcas*) ſancta eſt.

3. Sequuntur *Verba* quæ cuique rei vel exiſtentiam, ut aiunt, vel actionem progreſſumve ſuæ conſtitutionis aſſi- 3. Verbum.

gnant, & mentis judicium de rerum naturâ efferunt.

Quanquam autem vocis humanæ soni omnes qui significatione aliquâ pollent, *verba* dici promiscuè apud Latinos soleant; hic tamen speciali grammaticorum acceptione *Verba* dicuntur eæ voces quæ id, quod est in omni oratione præcipuum, enunciant, attributionem videlicet existentiæ aut actionis, sive res aut persona proposita suam actionem exerceat, sive receptam aliunde actionem patiatur; variis interim clausulis personam, numerum personarum, & agendi tempora docentibus.

Substantivum, sum.
Activum. Laudo, curro.
Passivum. Laudor.

4. Verbis ut plurimùm, nonnunquam & adjectivis nominibus adjunguntur *Adverbia*; quæ vel existentiæ ipsi, vel actioni, & cuilibet attributioni assignant peculiarem locum, modum, gradum.

4. Adverbium.

In linguis veterum pariter & nostris, solet *Verbum*, seu activè seu passivè accipiatur, vocem aliam progenerare ex sese, quæ participii nomen consecuta propterea est, quod verbi significationem ita servat, ut nominis tamen induat formam, & utriusque naturæ videatur esse particeps. Ex quo fit ut uni judicio alterum judicium facilè includatur,

Participium. Currens, Laudans, Laudatus.

datur, & multa quæ jam dicta sunt quæve nota supponuntur, in memoriam revocentur unico signo rem vel personam, numerum, actionem ac tempus complectente * brevioriqueue circulo tota oratio definiatur.

* Pompeius (re *compertâ,*) in Græciam fugit.

6. Quæ omnia cum mentis judicium satis bellè jam delinearent; adjectæ sunt voculæ aliquot usûs maximi, quæ nempe monstrarent omissos adjunctarum rerum situs.

6. Præpositio. Sub, super, juxta, circum, post, ante, &c.

7. Nonnullæ pariter quæ orationis membra distinguerent, vel per se distincta interposito vinclo constringerent.

7. Conjunctio. Et, si, aut, an, &c.

8. Aliæ demùm quæ vehementiores animi motus, non tam quidquam significando quàm exclamando, efferrent, & ipsâ erumpendi libertate sublevarent.

8. Interjectio. Hei! vah! hé, las! ouf!

Sic perfectum est octo circiter, non certè multò pluriùm vocularum, perpetuâ successione, & alterno reditu, ut pingi in sermone, tanquàm in vivâ aliquâ intelligentiæ tabellâ, percipique ab audientibus possent hæc omnia simul: res, rei modus, modi gradus, adjuncta omne genus, existentia, actiones, agendi tempora & progressiones, adjacentium quoque rerum ordines in

* *Ideas.* naturâ, succeſſio ſpecierum * in intellectu, & omnis affectuum calor.

Quoniam verò tum rerum tum actionum quæ vel maximè inter ſe diſcrepant, quædam tamen ſolent eſſe ſimilitudines, ac ſæpe recurrentes iidem ſitus, quales ſunt ſolitariè verſari, aut conſociari cum aliis; de iis quæ ſunt extra nos poſita judicium ferre; aut alieno judicio præbere materiem; pati actum vel exercere, & hoc vel præſenti tempore, vel præterito; vel diverſimodè definito; proviſum fuit & ipſo omnium populorum uſu ſancitum, ut vices ejuſmodi, aliæque complures, in quibuſcumque rebus exiſterent ſimiles, ſimilibus ut plurimum ſignis enunciarentur.

Eo fine præfixi prudenter ſunt articuli breves, aut aſſuti ſoni finales. Vox nominativa rem ſimpliciſſime deſignat, quæ vel eſſe vel agere dicitur. Eadem vox leviter inflexa in genitivo, ut aiunt, caſu, rei poſſeſſorem notat; in dandi caſu perſonam ſive rem cui vel utilitas, vel damnum vel alia quælibet attributio aſſignatur. In accuſativo caſu vox eadem commonſtrabit ut plurimùm quam in rem cadat & tranſeat actio. Vocativus caſus aut rem aut perſo-

nam innuit ad quam ſermo dirigitur. Ablativâ demùm flexione notantur aliæ rerum poſitiones quæ minus commodè ſe efferrent prioribus clauſulis. Cautum ſic eſt uti earum primo aſpectu ſtatim innoteſceret cujus vocabula ſingula ſint vexilli, & quo quaſi duce militent. Habent enim notas auxiliares nomina: verba pariter ſuas habent. Et ipſâ communium inſignium aut colorum oſtenſione perſpicitur, quem quaſi manipulum voces aliquæ conſtituant in oratione, cui ſeſe agmini adjungant aliæ, quo ſeſe ordine tamen tueantur omnes & amicè concordent.

Manet quidem, in omni ſermonis formâ, uniuſcujuſque vocis idem corpus & ſtabilis in omni conditione ſignificatio: mutantur tantum vocis additamenta, variique flexus, ut conſtet indubiis, & brevibus tamen ſignis, quam videlicet ad rem hæ vel illæ ſeſe attributiones applicent, quæ perſona vel agat, vel agatur; qui numerus agentium, quis ordo, qui ſexus, quod agendi tempus, in quam materiem tranſeat actio; quæ denique vox alterius pareat rectioni; quæve præpoſitionis titulum ſeu jus verbi exerceat.

Quæ omnia nullis exemplis indigere poſſunt ; cum obvia ſint & uſitatiſſima tam in veteri Hebraïcâ linguâ, quam in Græcorum Romanorumque linguis & vulgaribus hodiernis. Habent illæ diverſas quidem voces non tenui numero. Ignotum tamen nemini eſt quàm ſit exiguus in unaquâque linguâ primariarum partium, tum auxiliarium ſyllabarum numerus, ut earum indicia paucis diebus vel puer agnoſcat.

Sonos linguarum, qui ſint hìc non curo. Sonorum deſtinationes & juncturæ miror induſtriam. Signum verò nullum, nulla vox eſt quæ ex notiſſimis illis, pro loco, pro tempore, miniſteriis unum non exerceat. Eſt igitur in gentium linguis quanquam ſono valdè diverſis idem artificium.

Sic nullius hominis invento, ſed ſolius Dei ductu & magiſterio perducta eò eſt humana mens ut poſſet ſuos internos ac minimè viſibiles tum actus tum affectus alligare volaturis aliò ſonis, & facere ut ſibi, ſic aliis quoque ſenſum proſpectumque judicii ſui ; eorumdem deinde ſonorum mutatione tenuiſſimâ ſignificare novos earumdem rerum caſus & ſitus.

Magiſterii neceſſariò divini pars eſt

non minima gentes in perpetuâ de rebus omnibus dicendi necessitate, octo aut novem instrumentis uti omnes, & uti similibus, & uti priusquam quâ sint ratione tractanda didicerint. Obeunt suum diem plerique hominum priusquam subolfecerint aliud esse nomen aliud esse verbum, sermonemque quo utuntur esse legibus nunc solutum, nunc astrictum.

Est & illud observatu dignissimum, sonantia signa, signorumque flexiones nullo ut plurimùm naturali nexu cum signatis rebus concordare, & auxilio tamen artificiosæ juncturæ loquenti & audientibus ut plurimùm incognitæ, haberi posse orationem non de iis tantum rebus quæ stant ob oculos, digitoque commonstrantur, sed de iis etiam quæ absunt, quæ fuerunt olim, quæ nondum sunt, quæ in intellectuali quasi regione reconditæ nullius figuræ imitationibus adjuvantur, ut cadere sub aspectum queant.

Quemadmodum scilicet unius Dei voluntate manifestissimâ, non legislatoris ullius decreto, constitutæ ubique terrarum sunt, in variis animantibus tot specierum conformationes, & in genere nostro quinque sensuum simili-

tudines, & conjugia, & susceptiones liberorum, & mutua hominum officia, & facultates opitulationum, & agricolationis annui proventus, & pecorum servitutes, & societatis humanæ recentia semper subsidia; sic divinum est illud cogitandi munus, Divinum pariter loquendi artificium; quorum alterutro sublato rueret societas, aut suis destituta vinculis & adminiculis, à ferarum solitudine non distaret.

Jam sequitur ex illâ nostri sermonis verè Divinâ constitutione, id fuisse artifici propositum ut esset unusquisque hominum alienæ opis egens, & ipse vicissim societatis adjutor.

Sequitur & illud, uti novitius agricola imitando & arando proficit, non valde solicitus de germinum causis & incrementis proventuum; sic non esse nobis tantoperè laborandum de sermonis nostri elementis & primariâ structurâ, quam satis naturâ duce, magistrâ societate adipiscimur. Non ènim, si quis judicii sui membra dispescit & enumerat, idcircò cogitare ac judicare censebitur: sed quia cogitat, ea observare & enumerare potest. Qui loquitur pariter observabit, si volet, suæ locutionis artificium, non obtinebit

eâ observatione ut loquatur. Conjectus autem in turbam, loquentibus aliis, non longùm intererit, quin, quamvis ignarus artificii, loqui & ipse velit ac possit. Est igitur schola linguarum, societas. Si quis tamen, qui Linguâ sibi hactenus ignotâ indiguerit, redimat pretio tenui ejus Linguæ voces omnes uno volumine consarcinatas, eas appellet per otium, aliasque cum aliis copulet; an non poterit ille Linguæ hujus assequi usuram solitario suo labore, neque ullâtenus audito eorum sermone, quorum deinde convictu collibuerit uti? hoc ne fieri posset Providentiæ aliud consilium est, ex quo probè intellecto derivabitur in hanc materiem non minimùm lucis.

Divinitus orta locutionis lit.. mutatio, non mutato interim linguarum fundamento.

Loquendi beneficium antediluvianis hominibus præstitum, communemque Noachidarum omnium linguam ad posteros traductam Deus ipse primus à pristinâ illâ simplicitate paululum mutavit, & cum aliquâ inter hos & illos diversitate si non vocum certè flexionum voluit exerceri.

Nam, genere humano in Babyloniensibus campis commorante pervicaciter, cum reliqua terræ facies dudum sylvesceret; abegit invitos, & hinc in-

de disgregavit oris repentina discordia, glíscensque subitò inter varias agnationes alia & alia sonandi ratio.

Mira novitas! compellantium strepitus exaudiri, dictorum sensa, ut priùs, non percipi! Hinc turbæ. Hinc mutua ludibria. Cum essent alii aliis tædio, discessum est. Quæsitæ novæ sedes: & in ulteriora gradatim penetratum. Figebant seorsim tentoria; quos fecerat alienos ipsa soni disparitas. Eisdem sedibus utebantur, quos in eundem globum perduxerat unius usura Dialecti & intelligentia dictorum. Suos incolas omnis paulatim regio sic habuit; sic servat.

Fuit igitur miraculi hujus ad omnes ætates propagata utilitas. Novas deinde mixturas populorum, novæ in dies linguarum sunt subsecutæ mixturæ: aucto linguarum numero; crevit è loco in locum migrandi difficultas. Patriæ sic auctus amor; & fixa voluntas in pristinâ sede conquiescendi.

Quid providentiæ voluntati & consiliis in linguarum negotio debeatur, hoc strictim vidisse sit satis: jam liquidò constat esse cujuscumque sermonis prima rudimenta, nostrarum aurium, non nostræ meditationis opus:

liquidiùs apparebit si veniamus nunc ad ea quæ in linguis habentur ex hominum instituto.

Nulla est vel regio vel ætas cui non sit observatum multa vocabula, & structuras vocabulorum, quæ in honore fuerant, cadere; subrogari alia in eorum locum non diuturnioris ævi; renasci nonnulla, iterumque interire; eam denique esse linguarum conditionem, ut varios casus volvant, ac perpetuum sine lege fluxum patiantur. Cujus instabilitatis causas & necessarios effectus, quoniam numerari illi non possunt, uti superfluum est historicâ diligentiâ indagare; ita hic transcursim conspici, proposito nostro apprimè necessarium.

Quæ sint humani in linguis instituti neque ratione neque conjecturis, at usu assequimur.

Ut populus ingens idiomate communi, diverso tamen ab alterius uteretur, & ejus deinde populi sermo aliam cum tempore aliamque formam subiret, id factum non legislatorum industriâ, non institutis philosophorum, non regum imperiis, nec solemni civitatum consensu. Tantas linguarum vices adduxere scilicet rerum eventus improvisi, coalescentium populorum indoles diversæ, situs & amœnitates locorum, vel regionum asperitas, aspec-

tusve alterius cœli, vicinia quoque Sylvarum, aut marium, fluentesque ex iis causis variæ vivendi rationes & artes. Hìc naviculatoria, piscatio illic, alibi agricolatio, vel studia textrinæ; pax, otium, bella, servitus, hæc aut illa forma regiminis & omne commerciorum genus.

In exemplum summæ mutabilitatis esto celeberrimum mediæ ætatis Romancium *. Tumulus illic Latini sermonis: illic incunabula hodierni nostri. Verùm quot gradibus ad hodierna perventum! Quàm longâ temporum mutationumque successione factum est ut linguæ Hispanorum, Italorum & Gallorum pariter ex illâ rusticitate profluentes, tantum cultûs & virtutis paulatim consequerentur!

Plebeius Patrum nostrorum sermo, cum Romani nempe cives essent, voces Latinas ut plurimum servaverat, non servato tamen Latinorum flexu nec situ. Innumera itidem aliarum linguarum vocabula & genera tùm construendi tùm sonandi admisit. Hæsere primitùs, ut fieri debuit in principatu commu-

* La langue Romance, la langue Romaine rustique, d'où sont provenues les langues Italienne, Espagnole, Provençale, Gascogne, Françoise, &c.

tando, pristini Celtarum sermonis reliquiæ non paucæ: vocibusque ex necessitate Romanis Celticus inductus ordo. Assutæ pariter Francicæ, Burgundæ, Gothicæque aliquot, & benè multæ, sub Heristallo, Martello, Caroloque Magno, Teutonicæ voces, à Francicis non dissonæ: auxiliarium quoque verborum insulsitate à Septentrione ad nos derivatâ, miserum in modum sermo Latinus elanguit: alter à seipso fuit.

Pulsis totâ Europâ Ismaelitis mansit articulus Arabs, nominibus rerum commodè præfigi solitus, & sonos finales quorum summa fuit illis temporibus incuria, in casibus aliquot, non in omnibus tamen *, supplevit. Eo in negotio quàm supinè actum, quàm graviter peccatum sit, inquiretur aliàs, ubi veterum linguarum industria & brevitas, cum nostrarum loquacitate conferetur.

E Maguelonensi agro, & Meridionali Galliâ, è Salernitano littore, ac Meridionali Italiâ, ex Hispaniâ denique universâ subindè discedentes Arabes, in iis potissimùm locis post se su-

* Sit in exemplum.

Le jeune Hébreu tua le Géant.

Le Géant tua le jeune Hébreu.

Hic & illic articulus idem; eædem utrobique voces; sensus longè diversi.

perstitem reliquerunt versuum similiter desinentium vel puerilitatem, vel, si ita vis, concinnitatem.

Non diffitebimur iisdem deberi numerorum brevissimas notas, algebricos quoque calculos, & pleraque astronomicæ gnomonicæque rei instrumenta & vocabula, cum aliquo jam Botanices ac medicinæ apparatu.

Nova sive prius incognita nostris florum, fructuum, atque olerum seminumque genera & nomina ex Oriente complures Crucigeri subindè retulerunt. Vocabula multa, vocabulorumque juncturas diu misti nobiscum Angli, multa ex idiomate suo Itali, aliique finitimi colloquiorum necessitate apud nos invexerunt. Multa ex idiomate nostro traduxerunt in suum.

Sic ubique gentium sine fine novitati sese novitas admiscuit & implicuit. Hinc alia aliis ætatibus personæ, numeri, temporisque signa. Construendi novæ inventæ leges. Exceptum simul in multis: & exceptioni ipsi in modum canonis pro loco constitutæ, sæpè derogatum. Multa contraxit brevitatis amor & negligentia pronunciandi. Plerumque sublatâ non è syllabis modò, sed ex vocibus etiam necessariis unâ,

factum uti oratio, priùs legitima, legibus obluctari videretur, aut ænigmatis haberet speciem. Quas linguæ affectiones, pugnantesque secum formulas dicendi, si quis ad generalia quædam capita simplicesque analogias revocare vellet, id non desperarem præstari ab eo posse, cum sint earum rerum rationes non omnino nullæ: sed immensus ei nec teneræ præsertim ætati valdè necessarius assurgeret labor. Quî possent, quæso, etiam exercendi animi gratiâ, legibus iisdem subjici quæ origine, sono, figurâque discrepant, & mero nonnunquam casu definita sunt?

Ea vero ipsa mutabilitas neque rationis neque legum patiens, linguis tamen compluribus, & huic nostræ præsertim profuit non mediocriter. Inhærentem illi ab origine deformitatem tùm tædiosissimi verbi auxiliaris, tùm articuli compluribus in locis ambigui, paulatim didicimus illa ipsâ varietate tot formularum construendique dexteritate, vel reparare vel dissimulare.

Fatentur nunc omnes ex tantâ, tam minimè cohærentium partium quasi colluvie linguam extitisse tamen, & in omni orationis genere felicem, & au-

ribus influentem ſuaviter, & celebrem nunc voluntario totius Europæ uſu. Prodigii inſtar ea res videretur ſi non & Latinæ aut Græcæ impuriores origines eſſent: unde & id efficietur magis ac magis, eas legibus neque regi neque diſci.

Nata utraque latrones inter & pyratas, inter Barbaros adolevit. Græcam Phœnices, Phryges, Macedones, Illyrici, Galatæ, Scythæ, & fortuita nunc exulum, nunc erronum agmina tot flexionibus nominum, tot verborum tribubus, tot particulis, tot dialectis oneravere. Exordium Latinæ ab Umbris aliiſque Gallis; ab Etruſcis quoque & Sabinis; à Campanis demum & Samnitibus; quorum omnium origines & voces diverſæ; par propè ruſticitas, ingenii vix aliqua veſtigia.

Quarto certè & quinto ſæculo ab urbe conditâ Romanorum ſermo incomptus adhuc, aut vix aliquâ cœperat elegantiâ tranſmarinæ eruditionis adornari. Dato deinde Italis, ac gentibus paulatim innumeris hoc vel illo civitatis jure; qui Romanæ rei fuit ſplendor, idem fuit & linguæ.

Quæ cauſæ ſcilicet varietatem vocum, dialectorum, figurarum gene-

rant; linguæ penum pariter augent: si modò contingunt iis temporibus homines ejusmodi qui peritiâ dicendi è turbâ extare incipiant; qui quod alii dicunt negligenter & trito modo, usurpent ipsi non sine aliquo delectu, cum dignitate, cum plausu. Unde necesse est alios ejusdem laudis existere imitatores. Sic obsolescere agrestia: sic urbanitatis esse aliqua laus, alter & alter pro loco & tempore dictorum sapor. Pleniorem decentiæ sensum majora sunt in dies elocutionis ornamenta consecuta. In tantâ scilicet vocum figurarumque copiâ, libertati & industriæ locus. Hinc formulæ dicendi vel primariis urbibus, vel principibus viris usitatiores, derivatæ imitatione in vulgus. Hinc Poëtarum atque Oratorum, styli quoque hujus & illius variæ fortunæ: quibus causis adjiciemus & alteram non levioris pretii.

Optima nempè in omni genere artium inventa cum cœpissent consignari monumentis litterarum, nova pariter sunt oblata legentibus ad scribendum dicendumve adjumenta. Licitum jam conferre senescentes vel dubias usu locutiones cum locutionibus probatissimis, insigniumque scriptorum fa-

vore florentibus. Ejuſmodi labor cum fuiſſet ignotus anteà, tumultus armorum inter & impedimenta itinerum, perfici præſertim cœpit in illo liberrimo otio litterarum domeſticâque diligentiâ ſcribendi.

Sic ſermo in tantâ undique confluentium locutionum diſcordiâ inconditus & horridus, eodem, paulatim colore tingi, unâ denique formâ donari cœpit: & ut manu fabrorum metalla, ſic linguæ tractari ſeſe paſſæ ſunt eruditorumque limâ perpoliri. Ubi videbatur oratio haud ſatis lenis, ſed conſonis ſibilans, ſcabra quoque atque hiulca aſpero concurſu vocalium; conſultum auribus eſt: aſciti ex induſtriâ ſoni magis teretes. Quidquid rei ſignificandæ minus idoneum foret, emendatum in melius, aut ipſâ deſuetudine antiquatum.

Nunquàm vel raró ejuſmodi acceſſionibus neque ſonorum neque locutionum, ſuccrevit Hebraïca lingua ſermonis Phænicii ſoror ac dialectus: in nativâ ſuâ ſe ſimplicitate continuit, uni ſcilicet addicta populo, prope ignota cæteris, & uſque ad promiſſæ promulgationem ſalutis in uno terrarum angulo deliteſcens.*

* Poſt annos ter mille & quingentos durat Abrahami lingua, durat promiſſa poſteritas.

Ne Attica & Romana tam variè uctæ, tam diù florentes, pereuntium leinde civitatum & imperii cadentis experirentur vicem, id præstitere ingeniosissimi in omni genere scriptores ipsâ diuturnitate admirationis.

Nec sterilis nunc voluptas, vetera legendo, veteribus ipsis quasi interesse, & auscultare loquentibus. Mira operum varietas: complurium eximiæ virtutes: dulcia quoque nonnullorum vitia: ut cum te copia invitet, utaris commercio aliorum perseveranter, aliorum parcius. Cum Senecâ disputante confer philosophantem Ciceronem; vel, in expositione rerum naturalium, confer cum Plinio Columellam. Non mediocris utrobique industria: felix, quoquò te verteris, ingenium. Tua deinde sit optio utrum frui malis placidissimæ orationis luce & scitâ rerum consecutione, an continuò scintillantis ingenii strictüris percuti, agitarique subsultim. Si Tacito Livius opponitur, magnum utriusque nomen, virtus longè dispar. Vix obtinet aliquam fidem Tacitus qui politica semper mysteria subolfaciat & ascribat nil tale cogitantibus. At minimè hæsitans Livium sequor, in iis conquirendis quæ gesta

Linguarum veterum summa utilitas.

ſunt, non quæ ſuſpicatur, diligentem.

Demulcet alium Claudiani cantus, quia ſit ab omni prope ſyllabarum vocalium colliſione liber: alium capit Virgiliani ſtyli varietas ipſa, naturam imitantis, neque ad faſtidium canori; ſed maximè ſonoros verſus præmiſſâ aliquâ duritie commendantis.

Tuum pariter eſt explorare utrum ſit potior Plauti Latinitas an Terentii: utrum eloquentiæ palmam temporibus Auguſti adjudices, an Trajani. Hîc nimirum oſtentando ingenio, illic veritati illuſtrandæ, omni orationis contentione ſubſervitur.

Huc accedit quod vetera legentibus admoventur interdum ſtimuli non inutiles & nova ſubinde laboris incitamenta. Quem delectat ludens Anacreon, is non continuò ſequetur Pindarum longè avolantem: nec, ſi quis legendo Xenophonti parem ſe ſentiet, Plutarcho propterea videbitur idoneus. Gradatim ex uno ad alterum pergenti labore opus, judicio, perſpicientiâ. Ita ſinguli ſuâ ſunt aliquâ proprietate ſuoque ſtylo pollentes, ut totidem prope linguas dixeris eſſe quot celebrantur operum ſpecies & ſcriptorum nomina.

Crevit igitur cum laudabilium librorum numero & monumentis ingenii, facultas delectûs, informandique judicii & ſtyli oblata omnibus adjumenta. Non poterit enim non eſſe longo exquiſitæ orationis uſu alacrior ad dicendum, vel alienâ jam experientiâ utcumque aptior ad rem gerendam; quiſquis operam dederit Polybio & Vegetio in re militari; Columellæ ac Palladio in ruſticâ; Livio, Tacito, & Plutarcho in reipublicæ adminiſtratione; Tullio in omni vel diſquiſitionum vel judiciorum genere.

Græcorum autem Latinorumque cum ſint nunc inventione typographicæ artis ubique gentium diſſeminata ſcripta; nec ſe manibus cujuſquam, nunc ut olim, ſubtrahunt; nec ab ullo niſi damnosè negliguntur.

Non enim ſolum acuenda nobis ingenia, non unicè procudenda lingua eſt: ſed onerandum imprimis complendumque pectus maximarum rerum & plurimarum ſuavitate, copiâ, varietate. Qui autem Græcorum Romanorumve neque perpoliuntur doctrinâ, neque experientiâ inſtruuntur, verſari illi in duplici periculo ſolent, ne

habeant aut indisertam prudentiam; aut inscientiam loquacem.

Ex iis linguarum originibus & incrementis id possumus conficere, omnium, sed eruditarum præsertim gentium linguas constare naturali illo, uti diximus, fundamento; tum superstructo, pro hominum arbitratu, ædificio; & adjecto demum ab eruditis ornamento.

In linguis omnibus fundamentum, ædificium, ornamentum.

1°. Habet omnis igitur lingua communes, judiciique interioris imitatrices partes, nimirum voces, vocum flexus, flexuum varia ministeria, & aliquam ut in rebus sic in signis concordiam. Hoc fundamentum: hoc naturæ opus: quod in omni sermone deprehendet qui volet, ac prope incogitans exercebit.

2°. Habet omnis lingua suos, non tantummodo sonos, rerum significationibus utiles; sed structuræ peculiarem sæpe modum, vix numerabiles prætereà sine communi lege sine certâ semper analogiâ, fixas tamen in suâ diversitate & consensus diuturnitate constantes formulas. Hæc proprietas linguæ: amplissima nempe materiarum valdè dissimilium moles. Hoc homi-

num arbitrio & multiplici manu congestum ædificium.

3°. Habet omnis denique politiorum gentium lingua scriptores magni nominis, quorum ingenio variisque artibus eum cultum potuit adipisci, quem aliæ suspicerent ætates atque gentes.

Hinc & Grammaticæ triplex pariter exoritur genus. Grammatica triplex.

Prima est *Scientia elementorum*, quæ in quolibet idiomate id observat quod simplicissimum est; primarias, inquam, sermonis partes, necessarios & perpetuò recurrentes nominum verborumque flexus, tum connexiones vocum; maximèque vulgares concordiæ ac rectionis regulas. Scientia elementorum.

Altera grammaticæ species est *scientia proprietatis*, quam proprietatem intellige non vocum tantummodo sed figuræ, hoc est universæ linguæ. Scientia proprietatis.

Quisquis enim linguæ veteris aut hodiernæ indolem voluerit habere perspectam, moris est eum inquirere in speciales & proprias ejus leges, tum etiam in varias orationis figuras quæ ab his legibus recedunt; ac, si ita visum est, in vocum quoque etymologiam, in exceptionum deinde omnium

probabilem cum regulis analogiam; in causas denique harum rerum; quidni & in historicas singularum origines?

Critica Autorum.

Tertia Grammaticæ species est *Scientia Critica Scriptorum*, cujus finis est sapere, & uti gustus acuatur, autorum scripta revocare ad certam pulchritudinis normam, conferre alios cum aliis, sentire quid valeant, quâ virtute præcellant, si quid in iis vitiosum modestè reprehendere; quod eximium, in rebus, vel dictu minus usitatum, id asserere litteris, & lucro apponere.

Tria hæc instrumenta quo discrimine, quibus temporibus, quâ prudentiâ tractari & adhiberi necesse sit, pulcherrima sanè, non difficilis tamen quæstio est. Pendet solutio vel jam fluit ex iis quæ de linguarum tum naturali tum humano artificio dicta sunt superius, & prolata non ex ullâ meâ opinione, sed ex notissimâ naturâ intellectûs humani, nec minus notâ historiarum fide. Hinc gignitur optima, si non unica, disciplina linguarum, docendique minimè dubius ordo.





LIBER II.

LINGUARUM DOCTRINA,

Et expedita, omni ætate, discendi facultas.

DISCUNTUR Linguæ omnes aut ratione, deinde uſu; aut uſu, ac deinde ratione. Diſcrimen tenue dictu, re maximum. Vide utrum alteri, ſolo temporis ordine antepoſueris, uſum ſcilicet rationi, an uſui rationem; uſum ſcriptioni, an uſui ſcriptionem. Illic rei cardo.

Si *ab linguæ uſu*, hoc eſt, à conſtantiſſimâ conſuetudine *bonâ audiendi & repetendi*, ducis initium linguæ alterius, & hunc uſum ratione deinde ſtudioque rerum grammaticarum confirmas; via ea plana, Regia, nulli clauſa, placens, tutiſſima: euntibus ipſa via dux eſt, & patitur aberrare neminem. Via tuta.

Via fallax. Si *à ratione regulisque scribendi* incipis; si nullo prævio usu, sed grammaticâ moderante gressum, ab regulâ primâ instituis iter ad reliquas longo agmine subsequentes, &, aliquot lineolarum penso de die in diem soluto, speras optata te impetraturum; longa est via, longæ ambages, & ad linguam ipsam pervenies aut aliter, aut serò, aut nunquam.

Vulgare rudimentum. Atqui eâ tamen, inquies, eundum nobis est viâ, cum prior occlusa sit. Vulgarium sanè linguarum magister est usus. In linguis veterum quid, quæso, habebit loci? Silent veteres: nulla interrogandi facultas: nulla responsionum spes. Ubi autem non est reciproca vocum commutatio, hîc supplemento opus & artis auxilio.

Constat lingua vocibus & vocum structurâ. Vocum prope omnium nomenclationem uno volumine Grammatici compingunt; altero construendi regulas. Videtur primo aspectu molestum, ignotas voces conquirere, & repertas exigere ad multiplicem normam. Verùm tenaciùs hærent quæ laboriosiùs acquiruntur: & quoniam grammaticæ legibus, non tenui sanè numero congestis, innititur universa linguæ

linguæ moles, nunc damus uni operam, nunc alteri: in propositis ex industriâ exemplis immoramur quantum sat est, ut regulis omnibus paulatim satisfiat. Sic aliquot annorum patientiâ opus totum absolvitur. Hæc tyrocinii spes & litterarum stabile fundamentum.

Enarrasti quod fieri & passim, & perdiu, & magno angore solet; fieri tamen omnino non debet. Istud ipsum præstare quod laudas, omnino nihil est aliud, nisi non posito fundamento ædificare, & ridiculum non minus quam caducum ædificiolum nomine solidi operis insignire: neque ita tibi, ut fieri vulgo solet, induxeris animum esse in regulis fundamenta linguæ. Vulgaris rudimenti vitia.

Linguarum quippe omnium, tàm quæ nunc sunt vulgares quàm quæ nullius jam populi sermonibus usurpantur, eadem ut non sit fortuna, eadem tamen est natura; idem artificium, & unica ut discendi, sic igitur & docendi disciplina. Excogitandis enim tot sonis, tot sonorum societatibus, cum nulla deliberatio, nullum consilium, sed sors & libido populorum præfuerit; habent singula idiomata infinitam varietatem consuetudinis: habent suos, ut ita dicam * mores, quos qui meditando & * Manières.

ſolitariè ſcribendo aſſequi ſe poſſe confidit, ingrato & longo labore adipiſcetur nihil: propterea quod, quæ ſedulò compingit & caſtigat ad regulas, nullius linguæ ſimilia ſunt, quæ uſpiam gentium extiterit. Et quò magis illud ſuæ rationis opus promoverit, eò quoque magis ipſum à veritate & ingenuo linguæ uſu deflectere neceſſe eſt. Ho! quot ſtyli formas diverſimodè miſerabiles hic error invexit!

Penes uſum ſunt prima linguarum documenta, & quam linguam non ratio ſed uſus creavit, eam ratio non docet: eam tradi uſu & prompto intelligendi habitu, ſana ratio jubet. Ubi ſermonis & ſenſum & indolem obtinueris aſſiduo uſu; tum verò limæ, ornamentis, regulis & labori locus.

Ridiculum! inquis: ea lingua tradetur uſu, quam nemo nunc hominum loquitur? Quæ autem poterit iniri cum mortuis conſuetudo, & cum mutis colloquendi familiaritas?

Ne verò mutos eos dixeris, quorum eſt litteris conſervata vox, & qui, quoniam poſſunt legi, poſſunt pariter audiri. Quæ audiuntur autem poſſunt interpretis auxilio ab audientibus intelligi paulatim, repeti frequenter, & eorum

propria fieri facto gradatim itinere à tenuibus ad majora. Sunt verò hæc omnia usus ipse, sincerusque linguæ usus. Vix poterit alter non esse spurius, aut peregrinus, & necessariâ fœditate mentes inficiet.

Quod autem fieri in eò genere solet, id quàm perperam fiat, *quàm non debeat fieri*, proferemus in lucem, adductis ante omnia, tum manifestissimis exemplis, tum naturalibus rei causis. Eorum qui fuerint in eâ materie oculatissimi subjungetur autoritas. Videndum deinde erit *quid fieri debeat*, quid jubeat non opinio sed natura; quid suadeat constans experientia.

I.

Quid fieri non debeat.

Si quis pro more promissisque scholarum, ad veteres linguas perveniri posse meritò confidit ipsâ contemplatione regularum scribendique perseverantiâ; iisdem nos auxiliis utentes quid jam vetat Italorum linguam vel Anglorum commodè adipisci. Non queremur impediri negotium istud regionum intervallo aut interjectu marium: non

Quid fieri non debeat ostenditur exemplis.

colloquia indigenarum, non magistrum desiderabimus in eam rem: non incusabimus domesticæ tenuitatem rei. Nec magis obstabit huic voto locorum longinquitas quàm temporum. Multos jamdudùm arrexit eâ spes.

Quod si verò exempla passim comprobant eo linguæ vulgaris tentamine ac rudimento aspergi mentibus insanabilem labem, ac multò plus existere incommodi quàm utilitatis, non liberabuntur illo probro tantoperè laudata latinitatis initia, cum sit linguarum par natura, par discendi conditio, erroris par infortunium.

Hanc viam, quam dixi, tentavit nuper juvenis Anglus, quem pro more suæ gentis, cupido dudùm Gallici sermonis incesserat: cum autem penitùs omni Gallorum colloquio destitueretur in rustico suo prædio degens à Bristolio non procul, venit homini in mentem, quâ ratione fuerat initia aliqua latinitatis in scholis assecutus, eâdem posse se scriptitare Gallica, & artis grammaticæ legibus obedientem patienter, venturum eò esse, ut Gallus aliquando inter Gallos videretur. Ex ejusmodi scriptionibus * quas congesserat innumeras, iter ad nos facturus, & in

* Des Thèmes.

vidulo solebat asportare secum, paginam hanc scriptam, ut fit, primum patriâ linguâ, deinde ut putabat, Gallicè redditam, detraxi. Ejus tibi, Lector, copiam faciemus, uti sperò non inutilem. Confer, si potes, Anglica cum Gallicis. Ipso tamen unico Gallicæ scriptionis aspectu statim apparebit, quantùm sua eum spes fallat, qui ignotæ linguæ vocabula requirit ex nomenclatione, struendi leges ex arte grammaticâ, orationis ordinem ex materni sermonis ingenio.

» Before he left Sicily, he made the » tour of the Island to see every thing » in it, that was curious, and especially the city of Syracuse, wich had » alwais made the principal figure in » it's history. Here his first request to » the Magistrates, who were shewing » him the curiosities of the place, was » to let him see the tomb of Archime- » des, whose name had done so much » honour to it. But to his surprise he » perceived that they knew nothing » at all of the matter, and even de- » nied that there was any such tomb » remaining. Yet as he was assured of » it beyond all doubt, by the concur- » rent testimony of writers; and re-

The life of Cicero by Coniers Midleton, tom. 1. p. 64.

„ membered the verſes inſcribed; and „ that there was a ſphere with a cy- „ linder engrawed on ſome part of it, „ he would not be diſſuaded from the „ pains of ſearching it out. When they „ had carried him therefore to the „ gate, where the greateſt nomber of „ their old Sepulchers ſtood, he ob- „ ſerved in a ſpot overgrown with „ shrubs and briars a ſmall column, „ whoſe head juſt appeared above the „ bushes, with the figure of a ſphere „ and cylinder upon it. This, he pre- „ ſently told to the Company, was „ the thing that they were looking „ for: and ſending in ſome men to clear „ the ground of the brambles and „ rubbish, he fownd the inſcription „ alſo wich he expected, tho' the lat- „ ter part of all the verſes was effa- „ ced. Thus, ſays he, one of the no- „ bleſt cities of Greece, and one like- „ wiſe the moſt learned, had known „ nothing of the monnment of it's „ moſt deſerving and ingenious citi- „ zen, if it had not been diſcovered „ to them by a native of Arpinum.

Avant que Cicéron quittât Sicile, il fit le tour de l'Iſle, pour voir chaque choſe en elle, qui étoit curieuſe, & ſpé-

écialement la cité de Syracuse qui a toûjours fait la principale figure dans sa histoire. Là sa première requête aux Magistrats, qui étoient montrans à lui les curiosités de la place, fut de laisser lui voir la tombe d'Archimedes, duquel le nom a fait tant d'honneur à elle. Mais pour sa surprise il aperçut qu'ils connoissoient rien du tout de la matière : & même nioient qu'il y eut aucune telle tombe demeurante. Cependant comme il étoit assuré de elle, dela tout doute, par les concourrans témoignages d'Ecrivains, & qu'il se souvenoit des vers inscrits, & qu'il y avoit une sphère & un cilindre gravés sur un peu de part d'elle; il voulut n'être point dissuadé des peines de chercher elle. Quand les Magistrats eurent conduit lui donc (a) *à la porte de la ville, où le plus grand nombre de leurs vieux Sepulchres étoit; il observa dans un morceau de terre qui avoit trop cru en arbrisseaux & en brossailles, une petite colonne, de laquelle la tête apparoissoit* (b) *équitablement au-dessus des ronces avec la figure de la sphère & du cilindre au-dessus. Ceci, il présentement dit à la Compagnie, étoit la chose, laquelle ils*

(a) Il veut dire, *dans cette vûe.* Mais le Dictionnaire lui laisse le choix.

(b) Il veut dire, *justement.* Autre preuve du danger des Dictionnaires.

étoient cherchans pour. Puis, envoyant là un peu d'hommes, pour éclaircir la terre de ronces & de buissons, il trouva l'inscription aussi qu'il attendoit ; quoique la dernière part de tous les vers fut effacée. Ainsi, dit-il, une des plus nobles cités de Grèce, & à la fois pareillement la plus savante, auroit connu rien du monument de son le plus méritant & ingénieux Citoyen, s'il n'avoit pas été découvert à eux par un natif d'Arpinum.

Vir Parisinus, cui forte Bristoliensis hospes hoc aliquo industriæ suæ specimine significatum esse voluerat quid in nostro sermone posset, eum monuit amicè quàm nihil esset in ejusmodi lucubratione spei aut adjumenti. Cumque ille se scholarum patrocinio defenderet, nec de suâ sententiâ facilè deduceretur, subjunxit Parisinus illum, dum vulgaris Grammaticæ legibus obsequitur, eò ipso peccasse quod iis obsequeretur; scribentem *sa histoire, son le plus méritant Citoyen*, deerrasse, non à grammatico ullo dogmate, sed à linguæ proprietate: nullâ autem eum assequi conjecturâ potuisse, quibus in locis impetratum nobis esset à consuetudine, ut peccare, suavitatis causâ, liceret; aut ordinem nunc vocum invertere,

nunc rerum. Id causæ viro externo totiès fuisse cur Anglicè diceret, non Gallicè; quapropter missam faceret hanc præposteram consuetudinem vertendi Anglica sua in eam linguam cujus ipsi essent incogniti mores; quæque alio penitus incederet & vultu & gradu; autorem ei se esse, ut quæ scribendo exegerat ad normam grammaticorum, longissimè amoveret à se, & obliterari pateretur, si saperet; quisquis teneretur vel nostri, vel alterius cujuscumque sermonis desiderio, eum esse præoccupandum exercitationibus omnino nullis, potiùs quàm absurdis & homini nocituris; posse verò hospitem suum duobus adjumentis utentem linguæ nostræ proprietate assuefieri & imbui; altero, si quos videret probè ac liberaliter institutos, ad eos accederet frequenter, iis daret operam; altero, si vel commorans in Galliâ, vel Bristolium reversus, è scriptoribus nostris lectissimum quemque in Anglicum sermonem verteret, opem ferente Anglico vel nomenclatore, vel interprete; quâ in exercitatione nihil affore periculi, proptereà quòd quæ Gallicè audiret & legeret, vera essent; nec ambigui unquam usus; & conferentem deinde Gallica

laudabilia cum suis, percepturum esse nullo suo labore, nullo suo damno, quibus in locis perverteretur sermo Anglicus religiosâ imitatione nostri, quantum alter ab alterius formâ recederet.

Jam verò si scholæ non fallunt, cur Anglum fefellit sua spes? Quid cencebimus homini defuisse quominùs quò intenderat, eò perveniret? Non defuit illi annorum complurium patientia: non illum destituere legitimæ voces, non vocum flexus, non leges grammaticorum. Defuit homini primus linguarum magister, & unicus doctor proprietatis *usus.*

Num igitur minus absurda, minusque vitiosa ille scriberet, si, quæ facere Gallica, tam ridiculo eventu, voluit, ex Anglicis latina pro more scholarum fecisset. Quàm certè fraudem sua ei Gallica scriptio fecit, eandem facit latina nostris. Sic non potest non esse summoperè culpabilis aut valdè miser, qui, cujus linguæ usum nullum habet, in ea per plures annos exercere se scribendo vel audeat, vel jubeatur; & ratione regere, quæ quoniam multiplici fortuitoque usu constituta sunt, multo usu comparari necesse est, non ratione

ac mentis contentione conquiri. Hujus postremi laboris quæ sit absurditas, satis declarabitur brevissimo exordio Geographicæ (a) collectionis quam scriptor Germanus, publicus magister è suo sermone in Gallicum transtulit ad morem Scholarum.

» A Leipsic je fus prié de tenir un » Collége Géographique (b) : & com» me j'avois donné par écrit les prin» cipaux chapitres de mon discours (c), » je me vis engagé à faire un manuscrit » aussi en cette discipline (d).

Tu ipse tibi nunc vanitatem operis ob oculos pone. Hospitem Polonum cui fuerit Gallica lingua cordi, jube s'odes domi sit sedentem & grammaticis præceptis ac supellectili scriptoriâ egregiè munitum, exscribere Polonica nonnulla, quæ statim Gallica ex arte faciat, in lexicis versari, vestigare voces, complurium delectum habere, in singularium deindè compositione ad hanc vel illam legem advertere oculos, obtinere pedetentim modum, tempus, personam, numerum, verba auxiliaria, &

(a) *La vieille* & la nouvelle Geographie d'Hubner,* à Amsterdam chez Ottens 1735.

(b) Il veut dire *une école de Géographie.*

(c) Il veut dire *de ses leçons.*

(d) Je ne sai plus ce qu'il veut dire.

* Il a voulu dire *l'ancienne.*

indicativas harum rerum clausulas; tum unâ tandem aliquando expeditâ voce, facere iter ad alteram; suo & hanc & alias justo vestitu adornare; quæ sic animo præordinaverit, exscribere. Ibit homo, non diffiteor. At cogita quàm lento gradu, quàm cespitans ad singula, quàm metuens periculi. Priùsquam audeat in circulis committere quidquam de suo, fluent menses & anni. Moliminis tarditate ac diuturnitate silentii desperatum hospitem, nulla nisi generalia capientem, obviorum hominum placita non percipientem nec enunciantem sua nisi aliorum risu, necesse erit eum facere finem laboris odiosi, & fugâ in suam se restituere libertatem.

Scriptionis ejusmodi opus cum sit in viro plenæ suæ rationis compote & laboris patientissimo propè injurium; quæ species verisimilitudinis esse potest id exigi longissimo scholarum decursu à puerulis, & extorqueri miserorum metu?

Si sumptum esset initium rudimenti ab ipso primùm audiendi & intelligendi, tùm frequenter eadem repetendi usu, non quereremur angorem litteris additum, non dispendia tem-

poris, non ſermonis inemendabilem turpitudinem.

Falſo uſu abſtinendum.

Uſum igitur, quem plurimum eſſe ante omnia exoptamus, ne interpreteris eo ſensû quo accipiunt Poloni, Hiberni, Bohemi, Belgæ, aliique Septentrionales non pauci, quorum eſt ſummus quidem ſciendi ardor & ſcribendi; in pluribus tamen ſumma ſermonis incuria & ſtylus abnormis. Quod vitium eſt ab ipſo neglectu autorum, grammaticæque doctrinæ falſitate profectum.

Mos iis, poſtquam ex ephebis diſceſſerunt, latinè, ut aiunt, hoc eſt more Scholarum loqui, & cum ignaviſſimâ latinitate utantur in familiari colloquio, vix fieri poteſt, quin ſupinâ pariter utantur in ſcribendo. Sic duplici malo laborant illi: nos unico. Pueri, tantum latina deformamus: è ſcholis elapſi, ponimus calamos & artem. Ita nos allicit & rapit Gallicæ ſocietatis elegantia, ut properè dediſcatur & evaneſcat umbratilis illa, vel potius manca & inglo-ria latinitas; amiſſam deſideria nulla conſequantur. Ut etiam, ſi quibus è noſtris inter confabulandum exciderit latina vox, illa ſecum afferat vel purgandi neceſſitatem, vel erubeſcendi. In Septentrione aliter.

Universas illic familias & ipsam plebeculam, Scholarum lingua pervasit. Immutata quidem est studiorum facies. Veterum placita fecerunt recentioribus locum. Opinio opinionem trudit. Una styli barbaries manet.

Suos habent Angli, suos Germani, Batavi, & Helvetii, scriptores optimos & laude Latinitatis illustres, at imitatores ejusdem styli paucissimos. In Meridionali nostrâ Europâ si quid est quo superare Septentrionalium conditionem videamur, hoc tantùm quòd fit apud nostrates unius omnino linguæ usus, & eloquentiæ litterarumque gustum barbaries illa sermonis peregrini non interficiat. Ejus autem consuetudine latinitatis, quam materno suo sermoni Septentrionales anteponunt, ad omnem dicendi scribendique decentiam sic solent hebescere, ut uberem sæpe scientiam rerum, suæ orationis insulsitate deturpent. Tantùm propterea tædii lectoribus creant fratres Walemburgii stylo inculto; Boerhavius aspero; s'Gravesandius horrido; tot Belgæ Theologi nullo: quos tamen omnes ego hîc honoris causâ & inductus ipsâ doctrinæ celebritate, testes inveteratæ habitudinis appello.

Cum autem prudenter abjecerimus morem illum latinè dicendi, ne scilicet iis assuesceremus quæ latina non sunt; cur non & consuetudinem, non minus noxiam, per plures annos, & quod pejus est, per teneros annos, vitiosa scribendi? Pravâ scriptione abstinendum.

Simplicibus obviisque & ad rem nostram appositis exemplis dijudicata omnis jam controversia est. Rem tamen aliâ nunc aggrediemur viâ.

Fictitio illo stylo & puerili latinitatis fabricâ quantum vel protrahatur moræ, vel conferatur in ætatem secuturam incommodi, suadeat nunc ipsa sermonis humani natura notissima, suadeat omnium nostrûm notissima pariter experientia. Quid fieri non debeat ostenditur causis à naturâ & experientiâ deductis.

1°. Qui non audito anteà latino, Græcoque sermone instituit sub grammaticorum canonum ductu & libri nomenclatoris indicio delectum vocum habere, easdem scribendo componere, quæ magister emendarit ad exemplar, excipere fideliter & intueri sedulò; hæc prima audiet, legetque frequenter ac diù: hæc secum meditabitur, & paria quantùm poterit, imitando effinget, ut laudetur, ut emineat. Quantum noceant vitia primi sermonis.

Quæ autem sic exiguntur & emen-

dantur ad artis normam, à recto linguæ usu abhorrent ut plurimùm. « Quid est » enim aliud grammaticè loqui, quàm » omnino latinè non loqui.

Quintil. l. 1. cap. 6.

Norunt Quintiliani dictum plerique studiorum rectores, neque diffitentur quàm sit rudis & imbecilla puerorum scriptio; quàm longè quoque absit ab illâ grammaticâ diligentiâ quæ stomachum tamen Quintiliano movit. Sed in eo disputant quod fieri sic solet & arte grammaticâ regi, id sano fieri consilio & salubri instituto: bene scilicet agi cum illâ ætate, si quis extenuat suas vires consultò, si quis emaciat, ac depauperat latinitatem suam ex industriâ.

Pace illorum dixerim nullius unquam linguæ depravatione prudenter illius institui posse rudimentum. Non patietur matrona prudens filium suum facere suæ linguæ prima tentamina, rusticis aut falsis locutionibus insuescentem. Teneris mentibus ingerantur modica, & exilia sensu, quæ illam scilicet ætatem non gravent: rectè: at audiantur nunquam vel falsa, vel prolata è trivio. Distant autem longiùs à sinceritate Romani sermonis quæ in Scholis inferioribus emendari dicuntur, quàm provincialia nostra à Gallicis veris. Cum

certum ſit ineſſe ſermoni vel provinciali, vel etiam ruſtico primariam linguæ proprietatem. Non eſt igitur ſcholaſtici ſermonis minus metuendum contagium, quam ruſtici. Par utrimque periculum.

Rem, quæſo, jam propius introſpice. Non capit animus infans quæcumque dici ac ſcribi latinè poſſunt. Omni ſcilicet prolixitate dicendi obruitur: omni periodorum exterretur aſpectu. Neque membrorum diſcrimina juſta ſentiet, neque metietur numeros; multòque minùs percipiet aut æqualium, aut variorum intervallorum percuſſiones. Non erat his locus: in tenui propterea primus erit labor. At quantùm vis brevia, quantùm vis tenuia ſint quæ imbecillitati ætatis voles apta eſſe, ſint vera tamen: ſint hauſta è ſcriptoribus laudatiſſimis, ut quæ ſic ſupererunt eorum animis impreſſa, fiant, etiam cum grandeſcent, exemplaria dicendi, nec in reliquâ vitâ dediſcantur.

Hæccine verò exemplaria in poſterum? Hæccine operis litterarii fundamina? « Petrus celavit me hanc rem.
» Magiſter docturus eſt nos totam Bi-
» bliam. Joannes laborat ad lucrandam
» ſuam vitam.

Quod si, quia hæc vulgata usu, & alia mille ab regulis non abludunt; iis impunè exercetur ætas, ergo & impunè rus ablegabitur Versaliensis aut Parisinus puer : illic audiet sine periculo & imitabitur commodè plebeia ejusmodi :
» A quoi vous *avez* vous diverti ce
» matin. Vous vous *avez* trop échauffé.
» Vous êtes *suant*. Prennez un *blanc*
» mouchoir. Voilà *un* quelqu'un qui
» entre. C'est Monsieur votre Tuteur
» qui demande *après vous*. Pendant que
» vous lui souhaiterez le *bon Vêpres*, je
» ferai *mettre la nappe*. Nous lui servi-
» rons une volaille des mieux *mories*.
» Il pourra souper *auprès de nous* & s'en
» *retorner* de jour à Paris.

Consentiunt hæc & illa legibus : neutra tamen legitima sunt ; neutra, ne solvendo quidem ori, satis idonea, sed audientibus futura fraudi, quia pariter usui resistunt : quem usum qui læsit frequenter, ipso habitu peccandi, peccabit etiam non volens. Derisus inde à multis, ac sinistrè exceptus, dicendo hærebit anceps, & vel diffidenter ac ridiculè dicet, vel cudendi sermonis peculiarem sibi formam præscribet.

Sermonis autem, ut nummi, publica est, & privatorum fabricationibus mi-

nimè permissa forma. Nec magis instrui ad litteras puerum decet falsâ latinitate primitùs imbutum, quàm depravatos nummos obtrudentem, vel, quod pejus est, cudentem, facere initia mercaturæ.

Quò erit puer in adulterino illo artificio factus audacior, eò plus quoque laudum consequetur. Tali rudimento vide quantam fenestram ad studiorum sequentium corruptelam patefeceris.
„ Naturâ enim tenacissimi sumus eo-
„ rum quæ rudibus annis percipimus:
„ ut sapor, quo nova imbuas, durat.
„ Nec lanarum colores, quibus simplex
„ ille candor mutatus est, elui possunt;
„ & hæc ipsa magis pertinaciter hærent,
„ quæ deteriora sunt. Nam bona facilè
„ mutantur in pejus: nunc vitia quando
„ in bonum verteris? Non assuescat
„ ergo (quisquam) ne dum infans qui-
„ dem est, sermoni qui dediscendus sit.

Quantum sint primi sermonis nocitura vitia satis monet Quintiliani vel autoritas, vel exquisitum judicium. Monet hic ipse Quintiliani sermo, non voluntario nempe institutionis habitu, argutulus potius quam fluens, nec pro more sæculi prioris, numerosè sonans, ab illâ vero Ciceronianâ venustate, di-

indicativas harum rerum clausulas; tum unâ tandem aliquando expeditâ voce, facere iter ad alteram; suo & hanc & alias justo vestitu adornare; quæ sic animo præordinaverit, exscribere. Ibit homo, non diffiteor. At cogita quàm lento gradu, quàm cespitans ad singula, quàm metuens periculi. Priùsquam audeat in circulis committere quidquam de suo, fluent menses & anni. Moliminis tarditate ac diuturnitate silentii desperatum hospitem, nulla nisi generalia capientem, obviorum hominum placita non percipientem nec enunciantem sua nisi aliorum risu, necesse erit eum facere finem laboris odiosi, & fugâ in suam se restituere libertatem.

Scriptionis ejusmodi opus cum sit in viro plenæ suæ rationis compote & laboris patientissimo propè injurium; quæ species verisimilitudinis esse potest, id exigi longissimo scholarum decursu à puerulis, & extorqueri miserorum metu?

Si sumptum esset initium rudimenti ab ipso primùm audiendi & intelligendi, tùm frequenter eadem repetendi usu, non quereremur angorem litteris additum, non dispendia tem-

poris, non sermonis inemendabilem turpitudinem.

Usum igitur, quem plurimum esse ante omnia exoptamus, ne interpreteris eo sensû quo accipiunt Poloni, Hiberni, Bohemi, Belgæ, aliique Septentrionales non pauci, quorum est summus quidem sciendi ardor & scribendi; in pluribus tamen summa sermonis incuria & stylus abnormis. Quod vitium est ab ipso neglectu autorum, grammaticæque doctrinæ falsitate profectum. Falso usu abstinendum.

Mos iis, postquam ex ephebis discesserunt, latinè, ut aiunt, hoc est more Scholarum loqui, & cum ignavissimâ latinitate utantur in familiari colloquio, vix fieri potest, quin supinâ pariter utantur in scribendo. Sic duplici malo laborant illi: nos unico. Pueri, tantum latina deformamus: è scholis elapsi, ponimus calamos & artem. Ita nos allicit & rapit Gallicæ societatis elegantia, ut properè dediscatur & evanescat umbratilis illa, vel potius manca & ingloria latinitas; amissam desideria nulla consequantur. Ut etiam, si quibus è nostris inter confabulandum exciderit latina vox, illa secum afferat vel purgandi necessitatem, vel erubescendi. In Septentrione aliter.

Universas illic familias & ipsam plebeculam, Scholarum lingua pervasit. Immutata quidem est studiorum facies. Veterum placita fecerunt recentioribus locum. Opinio opinionem trudit. Una styli barbaries manet.

Suos habent Angli, suos Germani, Batavi, & Helvetii, scriptores optimos & laude Latinitatis illustres, at imitatores ejusdem styli paucissimos. In Meridionali nostrâ Europâ si quid est quo superare Septentrionalium conditionem videamur, hoc tantùm quòd sit apud nostrates unius omnino linguæ usus, & eloquentiæ litterarumque gustum barbaries illa sermonis peregrini non interficiat. Ejus autem consuetudine latinitatis, quam materno suo sermoni Septentrionales anteponunt, ad omnem dicendi scribendique decentiam sic solent hebescere, ut uberem sæpe scientiam rerum, suæ orationis insulsitate deturpent. Tantùm propterea tædii lectoribus creant fratres Walemburgii stylo inculto; Boerhavius aspero; s'Gravesandius horridó; tot Belgæ Theologi nullo: quos tamen omnes ego hîc honoris causâ & inductus ipsâ doctrinæ celebritate, testes inveteratæ habitudinis appello.

Cum autem prudenter abjecerimus morem illum latinè dicendi, ne scilicet iis assuesceremus quæ latina non sunt; cur non & consuetudinem, non minus noxiam, per plures annos, & quod pejus est, per teneros annos, vitiosa scribendi?

Pravâ scriptione abstinendum.

Simplicibus obviisque & ad rem nostram appositis exemplis dijudicata omnis jam controversia est. Rem tamen aliâ nunc aggrediemur viâ.

Fictitio illo stylo & puerili latinitatis fabricâ quantum vel protrahatur moræ, vel conferatur in ætatem secuturam incommodi, suadeat nunc ipsa sermonis humani natura notissima, suadeat omnium nostrûm notissima pariter experientia.

Quid fieri non debeat ostenditur caussis à naturâ & experientiâ deductis.

1°. Qui non audito anteà latino, Græcoque sermone instituit sub grammaticorum canonum ductu & libri nomenclatoris indicio delectum vocum habere, easdem scribendo componere, quæ magister emendarit ad exemplar, excipere fideliter & intueri sedulò; hæc prima audiet, legetque frequenter ac diù: hæc secum meditabitur, & paria quantùm poterit, imitando effinget, ut laudetur, ut emineat.

Quantum noceant vitia primi sermonis.

Quæ autem sic exiguntur & emen-

dantur ad artis normam, à recto linguæ usu abhorrent ut plurimùm. « Quid est » enim aliud grammaticè loqui, quàm » omnino latinè non loqui.

Quintil. l. 1. cap. 6.

Norunt Quintiliani dictum plerique studiorum rectores, neque diffitentur quàm sit rudis & imbecilla puerorum scriptio; quàm longè quoque absit ab illâ grammaticâ diligentiâ quæ stomachum tamen Quintiliano movit. Sed in eo disputant quod fieri sic solet & arte grammaticâ regi, id sano fieri consilio & salubri instituto: bene scilicet agi cum illâ ætate, si quis extenuat suas vires consultò, si quis emaciat, ac depauperat latinitatem suam ex industriâ.

Pace illorum dixerim nullius unquam linguæ depravatione prudenter illius instituі posse rudimentum. Non patietur matrona prudens filium suum facere suæ linguæ prima tentamina, rusticis aut falsis locutionibus insuescentem. Teneris mentibus ingerantur modica, & exilia sensu, quæ illam scilicet ætatem non gravent: rectè: at audiantur nunquam vel falsa, vel prolata è trivio. Distant autem longiùs à sinceritate Romani sermonis quæ in Scholis inferioribus emendari dicuntur, quàm provincialia nostra à Gallicis veris. Cum

certum sit inesse sermoni vel provinciali, vel etiam rustico primariam linguæ proprietatem. Non est igitur scholastici sermonis minus metuendum contagium, quam rustici. Par utrimque periculum.

Rem, quæso, jam propius introspice. Non capit animus infans quæcumque dici ac scribi latinè possunt. Omni scilicet prolixitate dicendi obruitur: omni periodorum exterretur aspectu. Neque membrorum discrimina justa sentiet, neque metietur numeros; multòque minùs percipiet aut æqualium, aut variorum intervallorum percussiones. Non erat his locus: in tenui propterea primus erit labor. At quantùm vis brevia, quantùm vis tenuia sint quæ imbecillitati ætatis voles apta esse, sint vera tamen: sint hausta è scriptoribus laudatissimis, ut quæ sic superenint eorum animis impressa, fiant, etiam cum grandescent, exemplaria dicendi, nec in reliquâ vitâ dediscantur.

Hæccine verò exemplaria in posterum? Hæccine operis litterarii fundamina? « Petrus celavit me hanc rem. » Magister docturus est nos totam Bi» bliam. Joannes laborat ad lucrandam » suam vitam.

Quod si, quia hæc vulgata usu, & alia mille ab regulis non abludunt; iis impunè exercetur ætas, ergo & impunè rus ablegabitur Versaliensis aut Parisinus puer : illic audiet sine periculo & imitabitur commodè plebeia ejusmodi : » A quoi vous *avez* vous diverti ce » matin. Vous vous *avez* trop échauffé. » Vous êtes *suant*. Prennez un *blanc* » mouchoir. Voilà *un* quelqu'un qui » entre. C'est Monsieur votre Tuteur » qui demande *après vous*. Pendant que » vous lui souhaiterez le *bon Vêpres*, je » ferai *mettre la nappe*. Nous lui servi- » rons une volaille des mieux *nories*. » Il pourra souper *auprès de nous* & s'en » *retorner* de jour à Paris.

Consentiunt hæc & illa legibus : neutra tamen legitima sunt; neutra, ne solvendo quidem ori, satis idonea, sed audientibus futura fraudi, quia pariter usui resistunt : quem usum qui læsit frequenter, ipso habitu peccandi, peccabit etiam non volens. Derisus inde à multis, ac sinistrè exceptus, dicendo hærebit anceps, & vel diffidenter ac ridiculè dicet, vel cudendi sermonis peculiarem sibi formam præscribet.

Sermonis autem, ut nummi, publica est, & privatorum fabricationibus mi-

nimè permissa forma. Nec magis instrui ad litteras puerum decet falsâ latinitate primitùs imbutum, quàm depravatos nummos obtrudentem, vel, quod pejus est, cudentem, facere initia mercaturæ.

Quò erit puer in adulterino illo artificio factus audacior, eò plus quoque laudum consequetur. Tali rudimento vide quantam fenestram ad studiorum sequentium corruptelam patefeceris.
» Naturâ enim tenacissimi sumus eo-
» rum quæ rudibus annis percipimus:
» ut sapor, quo nova imbuas, durat.
» Nec lanarum colores, quibus simplex
» ille candor mutatus est, elui possunt;
» & hæc ipsa magis pertinaciter hærent,
» quæ deteriora sunt. Nam bona facilè
» mutantur in pejus: nunc vitia quando
» in bonum verteris? Non assuescat
» ergo (quisquam) ne dum infans qui-
» dem est, sermoni qui dediscendus sit.

Quantum sint primi sermonis nocitura vitia satis monet Quintiliani vel autoritas, vel exquisitum judicium. Monet hic ipse Quintiliani sermo, non voluntario nempe institutionis habitu, argutulus potius quam fluens, nec pro more sæculi prioris, numerosè sonans, ab illâ vero Ciceronianâ venustate, di-

greſſus jam plurimùm. Monet idipſum acriùs longè & in rem noſtram accommodatiùs humanæ natura auris, potentiſſimumque in locutionis organa dominium.

2°. AURIUM GUBERNACULO REGI HOMINIS LINGUAM NATURA VOLUIT.

Auris corruptæ neceſſarii effectus.

Hinc tam efficax & indeclinabile duo inter inſtrumenta commercium, ut, pro aurium valetudine & affectu, lingua temeretur aut excellat. Qui naſcitur aurium deſtitutus uſu, neceſſe eſt eum pariter & uſu linguæ deſtitui. Neque hujus unquam vincula reſolventur, niſi cum, ſublatâ aurium ægritudine, ſonus tandem aliquis eas, aliqua vocum diſcrimina pulſaverint; aut vir induſtrius mutum docuerit edere ſonos noſtrorum non diſſimiles, aſſiduâ monſtratione motuum, qui labiis, dentibus, ac linguâ in rebus appellandis peraguntur.

Pari ratione nec diſſimili eventu, ſi quis derelictus in inſulâ, vel in ſylvis, erraverit puer, & cum feris reptando curſitandoque ſolari didicerit inſtigantem famem; ſonos vocis humanæ, quos nullos audiit, nullos reddet: neque ullis indiget nunc, inter feras conſtitutus, quarum ſigna potiùs imitabitur, aut

cum lupis ululans, aut ad elephantos barriens.

Ut percussæ posteà vocibus humanis pueri aures linguam provocent ad sonandum, & imprimant huic vocis instrumento eum motum, qui sit optato sono habilis potiùs quàm alteri; quo magistro usurus, quæso, est? quo musico præcinente, quo anatomistâ sollicitante nervos, tendente fidiculas? Qui fieri denique poterit, ut, cum cæcutiat in tam multiplici organorum apparatu, tamen imperet his aut illis non dubitanter, & obtineat pro re ac loco verum sonum, & dicat articulatim, & se vel superbissimis auribus approbet.

Hoc arcanum sanè opus, neque puero loquenti, neque cuiquam Philosophorum, sed fabricæ totius artifici unicè notum. Voluit ille sonum, quem percepisset auris, præstari pariter exigique ab humanâ linguâ posse, non præstante in ea re operam industriâ nostrâ, sed instituto promptissimo ab auribus in linguam meatu & influxu.

Cujus rei vestigia non obscura deprehenduntur, & in brutis animantibus, si quorum præsertim lingua cæteris est agilior. Ubi Muliebris manus

ad sonos organi serinarii (*a*) Canariensem passerculum erudivit, ab auribus aviculæ ad ejusdem linguam ita traducitur incorruptum melos, ut stantibus in procætone jurgii materies inferatur, aliis instrumentum exaudiri contendentibus; aliis discipulum. Indè etiam psittacorum garritus, assiduâ vocum geminatione quæsiti, & illa tot volucrum, pari artificio, comparata loquacitas. Signa pari nobiscum artificio percipiunt & reddunt: rem signatam verbis, ratione deficiente non tenent.

Quibus autem naturalis hujus machinamenti exemplis abundet omnis hominum vita, obvium quidem est, non satis tamen observatum. Quid censes in eo genere affuturum, si quis cum bienni puero civis Parisinus inter Pyrenæi tractûs aut Garumnæ accolas abierit, & illic rerum domesticarum gratiâ non paucos annos commoretur? Vir cætibus virorum sese immiscebit, Ludet cum pueris puer. Sustinebit uterque suas partes.

Parisios tandem reversi, sonabunt Parisinè pater, puer Vasconicè. Scilicet aures paternæ, cum itum est in

(*a*) Serinette, flageollet en forme d'orgues d'Allemagne pour sifler les serins.

Vasconiam, sonis Parisiensibus assueverant, aures pueri nullis. Consimili ratione fieri videmus, ut multis, etiam nolentibus, hæreant soni provincialis non facilè delebiles reliquiæ. Si profugorum nostrorum nepotes aut Bresslaviæ, aut Londini alloqueris; Picardum sonum miraberis in unâ familiâ superstitem, Normannum in alterâ vel Transligeritanum.

Qualibus quoque sonis, in provectâ etiam ætate, diutiùs afficiuntur aures, talibus linguam paulatim exercitari & utcumque inflecti non est insolens. Sic multorum sermo absolutus & expressus in tenerâ ætate, sæpe posteà fuit, vel publici studii monotoniâ, vel nimiâ non rectè loquentium consuetudine ab materni oris amænitate plurimùm detortus. Sic pluribus nostratum nocuit alterius gentis aut linguæ longa familiaritas.

Innumerabiles possem proferre sermonis corruptelas, quas pepererunt soni, vel in tenerâ ætate primi, vel in alterâ diuturni. Verùm nemini jam obscurum est, oportere eum, qui egregiè informare linguam volet, in informandis auribus, non in depravandis ab ipso exordio, assiduum esse. Cer-

tum igitur maneat & ratum, non posse per tot annos distineri adolescentiam latinitate falsâ & scribendâ de suo; quin ei ad veram præpediatur aditus, & rectitudini sensûs, aut studiis optimæ Antiquitatis offendicula sexcenta præparentur.

Huc accedit & aliud non mediocre incommodum, quod qui versatur in magno condiscipulorum auditorio, non vulnerat ipse suas aures unico suo stylo: sed tenetur eas præbere audiendis aliorum scriptionibus: ita ut vitia singulorum, ad reliquas aures necessariâ contagione pertingant.

Nec, si quid Magistro dictante diligenter exscribitur, id mali remedium est. Cum sit enim latinitas ista, non qualem creare vir eruditus posset, sed ex arte deformis, & indulgenter enervata, non latinitas est: Gallicismus est; Aurium offensio est.

In puerili scriptione quanta fiat jactura temporis.

3°. Scriptio puerilis non tantùm eò peccat quod ingenio molli, novitiisque auribus non instillet habitus probabiles, & ingeneret pravos: verùm quòd impendio tot annorum acquiratur vel nullus vel inconditus sermo; cum potuisset obtineri purior paucissimis. Diuturna enim Thematum, ut vocant, scriptio,

ſcriptio, quæ fundamenti nomine uſui antecedit, eſt inimica proprietatis, & uſûs legitimi. Nonne animadvertis præterea meticuloſam illam & fallacem ſcriptionem, eſſe paratu difficiliorem longè quàm uſum ipſum linguæ cujus eſſe fundamentum creditur? Quid excogitari autem abſurdius poteſt, quàm ſi quis velit, per id quod falſum eſt iter ſibi eſſe ad id quod verum ſit & laude dignum? Quæve magis voluntaria temporis jactura eſt, quam ſi pertinaciter adhibeatur inſtrumentum comparatu tractatuque difficillimum, ut perveniatur ad id quod machinâ nullâ, nullo inſtrumento conquiritur & eſt omnibus propè obvium.

Falſam verò eſſe ſcriptionem primæ ætatis, & uſui repugnantem, in confeſſo eſt apud illos ipſos qui eam, ut ætatis infirmitati parcatur, ad ingenium noſtri ſermonis contemperant. At verò difficiliorem eſſe ipſâ proprietate linguæ non pariter confitentur, quia præoccupati *rubricis* & ſecuri defenſione conſuetudinis, ad opus naturæ non advertunt animum. Nunquam autem grammatice generat uſum: ſed pedetentim grammaticen generat uſus. Rei cauſam in promptu habes.

Qui linguam comparare aggreditur assiduâ, aut familiaritate probè loquentium, aut interpretatione probè scribentium, multa eum adjuvare solent, quibus in solitariâ suâ scriptione destitueretur. Si quis ad nos accesserit homo longinquus & alienigena; ejus oculi ac memoria rerum monstratione, nominum adjectione, manuum gestu, compositione vultûs & oculorum, significantissimâ quoque pro re ac loco elatione vocis, erudiuntur. Quot ille immiscebitur viris, tot magistris utetur, & incogitantes magistri discipulum docebunt aliud agentem.

Fieri deinde poterit ut quam linguam constanti usu, & rectè loquentium convictu adeptus est, eam velit facere ratione certiorem; idiomatis quoque deprehendere ingenium; nosse vitia & modos, vel senescentes voces, vel prohibitas usu formulas; habere denique sermonem non modò non impeditum, & aliquâ jam libertate consuetudinis elegantem, sed etiam purum præsertimque illegitimum in nullis.

Rectè omninò: aggreditur ille opus, ut uberrimum proventu, sic impedimento nulli obnoxium. Non angit eum labor pertingendi ad ignotam diffici-

lemque linguam. Abſoluta ea pars eſt. Optato fruitur. Poſitus in tuto & linguæ ſecurus quam fecit uſu ſuam; cum volet, aſciſcat Valgelaſium, Menagii Origines, Buhurſii adverſaria, Mareſii, Bufferii, Reſtaldique recentiſſimas de Gallico ſermone commentationes. In ejuſmodi Grammaticorum libris verſabitur libenter & fructuosè, quos anteà ne intelligendo quidem fuiſſet aſſecutus, ſi ab iis ignotæ linguæ duxiſſet initium.

Si quis pariter voluerit, quâ id ætate fiat nil intereſt, latinorum nominum verborumque ſimplices clauſulas cum ſtructuræ communibus regulis ad ſummum duodecim infigere memoriæ, & hoc tenuiſſimo inſtructus apparatu Sulpicium Severum, Cornelium Nepotem, Curtium, gradatimque alios præeunte magiſtro interpretari; pedetentim comparabit aliquem jam uſum: condiſcet voces veras, veros quoque vocum flexus, veros ſitus. Creſcet uſus in dies & adjuvabitur ipſo hiſtoricæ narrationis vel ſententiarum filo, repetendique frequentiâ, ſono etiam lectionis cum rebus conſentiente, concertationum æmulatione, & diligenti obſervatione ſimilium ubique formu-

larum. Sic mens diſcipuli, pravitate omnino nullâ imbuitur, ac ne ipsâ quidem pravitatis notitiâ. Sic fluent ab exemplis bonis regulæ: non extorquebitur ab regulis ſermo horridus & miſer. Sic docet & digerit uſus optimus optimam nec laborioſam grammaticam.

His adde quòd qui in ſcriptis ejuſmodi elementa ſermonis & incrementa conquirit, florem illic ingenii humani jam prælibat, eo ſucco paſcitur, & gliſcentem pulchritudinis ſenſum nullâ pravæ ſcriptionis deformitate, nullâ exemplorum vel falſitate, vel mediocritate corrumpit.

Invertet hunc ordinem quiſquis prævio nullo uſu, ſolâ regularum conſideratione tentabit linguæ veteris aut noſtræ nanciſci ſtructuram: quò denique tot præceptionibus obtemperantem puerum ſcriptiones moleſtiſſimæ perducent? Eò ſcilicet ut illum ſuum deformem ſtylum purget probroſiſſimo genere peccandi, nullâ tamen præſtet laude dignum. At ſatius longè eſſet peccari, & tamen latinè diſci.

Sermonis prima laus uſum ſequi: virtus altera ſed longè poſterior noviſſe leges & obſequi legibus. In familiari

hominum nostrorum convictu mos plerisque matronarum Grammaticas leges omninò nescire, interdum & infringere. Dicunt tamen & Gallicè & venustè. Cum libitum fuerit grammatica discent, & offendent in nullis. At qui Grammatica sola didicit, quid, quæso, est assecutus? Ne primum quidem linguæ limen tetigit. Abest ab eo longissimè.

Defuncto tot laboribus & regulas non ambiguè adepto, adverte, si lubet, quid operis denique supersit. Perdiscenda de integro universa lingua: universa, inquam. Latinè nil didicit.

Si enim vocum flexus ac desinentias excipis, rem sanè tenuissimam, non plùs paulò latinæ linguæ subserviunt ea quæ didicit, & operosè construit, quàm vel maternæ, vel Sclavonicæ, vel Lusitanæ. Leges quidem concordiæ ac rectionis generalissimas, & gentium prope omnium communes, ut nosceret pervicit. Ab iis autem legibus exulat longè latinitas. In vocibus innumeris, & in figuræ proprietate tota est. Quæ partes ab egregiis autoribus non possunt sejungi, nec, si quis eas meditando secum pervestigat, ejus in cerebro reperientur.

Priusquam verò noster ille Grammaticulus è regulis emerserit, & lectitandis tandem veterum scriptis consequatur aliquam vocum proprietatisque mediocritatem, a'iò avocabunt illum scholæ superiores, penitùsque diverso genere sermonis ejus aurem ferient. Studia hæc invasit ætatis mediæ lingua, non aureæ. Sic pravæ scriptionis usum pejoris etiam locutionis usus excipit. Nec, si quod subnascitur ingeniis eloquentiæ germen, ex eâ scholasticâ latinitate efflorescet.

Ineunda his temporibus vitæ conditio. Affluet omne paulatim negotiorum genus, nec finent linguæ veteris amatorem juris ulteriùs esse sui. In hoc autem brevissimo dierum nostrorum curriculo laborem labor expellit. Quò præsens vocat necessitas, illuc itur. Si quid, quod esset acquisitu dignum & usu à teneris obtinendum, suo justo tempore omissum est, eo excidisti: nec redeundi ac recuperandi relinquitur locus.

In alterâ hujus libri parte justum tempus erit exponendi quibus causis fieri soleat ut fundamentalis illa orationis constructio, quam omni hominum generi natura suggessit, comparetur tam tardè, tam sine fructu; si

ſolitaria ſit, hoc eſt, ſi pro more ſcholarum à rebus & ab ipſo vero linguæ uſu divellatur; cum eandem neque longo conamine, neque unquam ſine plurimâ voluptate, puriorem pueri amplioremque colligerent, ſi opus autorum uſu inchoatum, eorumdem uſu confirmatum, ratione denique & grammaticis diſquiſitionibus perficeretur.

4°. Eſt & aliud accuſationis caput, quod ſilentio prætermiſiſſe, mihi religio eſt. In tam diuturnâ ſollicitudine *thematis*, ut aiunt, ad regulas accommodandi, lingua puerorum latinè nunquam exercitatur: gallicè non magis exſolvitur.

Scribendi tacendique nimiâ conſuetudine pueros effici meditabundos ac triſtes.

Verſiculis * duodecim è gallico ſermone in latinum vertendis duarum plerumque horarum meditatione non ſatisfit: & quò plùs legum exceptionumque pueri ob oculos habituri ſunt; eò plus diffidere ſibi ſolent, evaduntque inde meditabundi, taciturni, triſtes, aut invenuſtè hæſitantes periculorum circumſtantium metu. Qui metus in jucundiſſimâ interpretandi libertate & enarrandi aſſiduitate nullus eſſet.

* **Lignes.**

Uſitatam igitur in ſcholis inferioribus ſcriptionem indigere cautione aliquâ & meliori formâ, ſatis ſuperque

Priusquam verò noster ille Grammaticulus è regulis emerserit, & lectitandis tandem veterum scriptis consequatur aliquam vocum proprietatisque mediocritatem, a iò avocabunt illum scholæ superiores, penitùsque diverso genere sermonis ejus aurem ferient. Studia hæc invasit ætatis mediæ lingua, non aureæ. Sic pravæ scriptionis usum pejoris etiam locutionis usus excipit. Nec, si quod subnascitur ingeniis eloquentiæ germen, ex eâ scholasticâ latinitate efflorescet.

Ineunda his temporibus vitæ conditio. Affluet omne paulatim negotiorum genus, nec finent linguæ veteris amatorem juris ulteriùs esse sui. In hoc autem brevissimo dierum nostrorum curriculo laborem labor expellit. Quò præsens vocat necessitas, illuc itur. Si quid, quod esset acquisitu dignum & usu à teneris obtinendum, suo justo tempore omissum est, eo excidisti: nec redeundi ac recuperandi relinquitur locus.

In alterâ hujus libri parte justum tempus erit exponendi quibus causis fieri soleat ut fundamentalis illa orationis constructio, quam omni hominum generi natura suggessit, comparetur tam tardè, tam sine fructu, si

ſolitaria ſit, hoc eſt, ſi pro more ſcholarum à rebus & ab ipſo vero linguæ uſu divellatur; cum eandem neque longo conamine, neque unquam ſine plurimâ voluptate, puriorem pueri ampliorem que colligerent, ſi opus autorum uſu inchoatum, eorumdem uſu confirmatum, ratione denique & grammaticis diſquiſitionibus perficeretur.

4°. Eſt & aliud accuſationis caput, quod ſilentio prætermiſiſſe, mihi religio eſt. In tam diuturnâ ſollicitudine *thematis*, ut aiunt, ad regulas accommodandi, lingua puerorum latinè nunquam exercitatur: gallicè non magis exſolvitur.

Scribendi tacendique nimiâ conſuetudine pueros effici meditabundos ac triſtes.

Verſiculis * duodecim è gallico ſermone in latinum vertendis duarum plerumque horarum meditatione non ſatisfit: & quò plùs legum exceptionumque pueri ob oculos habituri ſunt; eò plus diffidere ſibi ſolent, evaduntque inde meditabundi, taciturni, triſtes, aut invenuſtè hæſitantes periculorum circumſtantium metu. Qui metus in jucundiſſimâ interpretandi libertate & enarrandi aſſiduitate nullus eſſet.

* Ligne.

Uſitatam igitur in ſcholis inferioribus ſcriptionem indigere cautione aliquâ & meliori formâ, ſatis ſuperque

demonſtrant quatuor hæc vitia, perverſitas primi habitûs ab naturæ & linguæ ingenio longè alieni; aurium ſecutura depravatio; non reparabile damnum longi temporis; & inſitæ timiditatis neceſſaria incrementa.

His adjici meritò poteſt, eorum qui poſteà ſcribendis verſibus & amplificationibus exercentur, paucos eſſe qui non invitâ minervâ verſentur in commentationibus ejuſmodi; pauciſſimos qui non ineptiant. Unde neceſſe eſt exercitationes per ſeſe laudatiſſimas, pluribus eorum non deperdi modò, ſed fieri manifeſtè peſtiferas, propter perſeverantem in dies abſurdiſſimi ſermonis fabricam; cum non poſſit informari animus, neque ſtylus adornari, niſi conſtantiſſimo veri & rerum optimarum uſu, in ſummâ interim mali inſcientiâ.

Imminet & magiſtris idem prope periculum. Quæ ſolent illi in ſcholis inferioribus emendare; ad captum ætatis, ut aiunt, emendant, & ſtyli ſui non modo luxuriem, ſed elegantiam quoque ac decentiam prope omnem depaſcunt. Abjectiſſimæ latinitatis aſſuetudine, magiſtrorum indureſcunt aures. Contaminato paulàtim ſenſu juſtæ pul-

chritudinis, necesse est ut cum superioribus deinde studiis præerunt, oratio eorum vel flaccescat, si obsequuntur auribus & mori diuturno, vel turgeat, si assurgunt.

Tu, quisquis eris, quem non sum habiturus hîc mihi consentientem, memineris, velim, sic agi inter nos publicæ utilitatis causam, ut tibi, neque crimini esse possit, morem qui ubique locorum obtinet, servavisse; neque probro, si sit vitiosus, omittere. Non est hîc personis locus. Nulla lædendi voluntas, at ne probabilis quidem suspicio. Et quoniam in eâ materie versamur in quâ ratio servat suum jus, nec potest ullo patrocinio consuetudinis eludi, sed potius experientiæ constantis argumento defendi; vide ante omnia, uti probos decet, ne mihi pares invidiam, vel specie novitatis, vel pravæ facilitatis metu.

Odio digna maledicta utrimque missa faciamus. Rem ipsam putemus. Eam publici magisterii partem quæ rudimenta litterarum ducit ab regulis & conversione nostri sermonis in Romanum, nunquam somnolentiæ crimine oneravimus, nunquam inscientiæ; at vitio imprudentiæ alicujus, & parum

prævisо nocendi periculo liberare non possumus.

Quantumcumque Christiano animo ducatur is qui docet, multa sunt, in quibus à suo scopo longè aberrabit, si aut ab eo scopo avertat oculos; aut in eo quod bono animo facit, non consilio tamen certo, sed aut consuetudine duce, aut vestigiis & numero præeuntium regi sese patiatur.

Notum autem certumque est Quintiliano admonente, ipsa naturâ teste, teste experientiâ, & musicorum præsertim omnium consensu, in hac materie plurimum valituro, non posse absolvi & informari linguam, quamdiu fuerint aures aut absono cantu, aut peregrino sermone, violatæ perenniter.

Quintil. l. 1. c. 1.

» Non debent igitur primis annis (& » adhuc vacuis auribus) inseri vitia quæ » inemendabili in posterum pravitate » durantur.

Quantùm capiat inde res litteraria detrimenti non recens, non mea observatio est.

Causis & exemplis adjuncta autoritas.

Idipsum quod ego nunc, & acriori genere censuræ Rollinus præmonebat nuper, vir candoris plenus, nec novitati studens, nec adhortator inertiæ. Sic ille.

» Faut-il commencer par la com-
» position des thêmes, ou par l'expli-
» cation des Anteurs? c'est ce qui fait
» plus de difficulté, & sur quoi les sen-
» timens sont partagés.

Traité des Etudes, l. 2. ch. 3.

» A ne consulter que *le bon sens & la droite raison*, il semble que la dernière méthode devroit être préférée. Car pour bien composer en latin, il faut un peu connoître le tour, les régles de cette langue, & avoir fait amas d'un assez grand nombre de mots dont on sente bien la force, & dont on soit en état de faire une juste application. Or *tout cela ne se peut faire qu'en expliquant les Auteurs*, qui sont comme un Dictionnaire vivant & une Grammaire parlante, où l'on apprend par l'expérience même la force & le véritable usage des mots, des phrases, & des régles de la Syntaxe.

» Il est vrai que la méthode contraire a prévalu, & qu'elle est assez ancienne: mais il ne s'ensuit pas pour cela qu'on doive s'y livrer *aveuglément & sans examen*. Souvent la coutume exerce sur les esprits une espéce de *tyrannie qui les tient dans la servitude & les empêche de faire usage*

» *de la raison ; qui dans ces sortes de*
» *matières est un guide plus sûr que*
» *l'exemple seul, quelqu'autorisé qu'il soit*
» *par le tems.*

» Quintilien reconnoît que pendant
» les vingt années qu'il enseigna la Rhé-
» torique il avoit été contraint de sui-
» vre en public la coutume qu'il avoit
» trouvé établie dans les écoles, de n'y
» pas expliquer les Auteurs, & il ne
» rougit pas d'avouer qu'il avoit eu tort
» de se laisser entraîner par le torrent.
» On ne se trouve point mal dans l'Uni-
» versité de Paris d'avoir apporté en
» d'autres choses quelques changemens
» à l'ancienne manière d'enseigner. *Je*
» *voudrois qu'il fût possible d'y faire quel-*
» *que essai de celle dont nous parlons*,
» afin de s'assurer par l'expérience si
» elle auroit dans le public le même
» succès, que *je sai qu'elle a eu dans le*
» *particulier, à l'égard de plusieurs en-*
» *fans.* Mais en attendant on doit être
» content du sage milieu que suit l'Uni-
» versité.

Rem videtur Rollinus noluisse definire : suo tamen suffragio, suo testimonio, & apertissimâ præsertim rerum consecutione definivit. Non sunt enim discentium mentes vel exercitationes

litterariæ in publico ludo naturæ alterius, alterius inter privatos parietes: & quod ille testatur faustum privatim felixque toties fuisse, pudor esset id nolle ad publicam multò magis utilitatem traduci.

Monuerat idem Tanaquillus Faber Salmuriensis duplici titulo præ cæteris audiendus in eo negotio, & quòd in studiis veterum linguarum nemo esset illo versatior, & quòd, quæ pro retinendo scholarum more deblaterabantur, illustribus exemplis evertisset.

Minore quam trium annorum spatio filium, gallica nulla latinè reddentem, sed græca & latina interpretantem assiduè, eò perduxerat, ut & Historicos benè multos & Poëtas propè omnes utriusque linguæ, tam dramaticos quàm epicos legeret puer inoffenso pede.

Acerbam discipuli jam celebris mortem solatus est pater simili institutione filiæ, quæ non alio quàm interpretationis adminiculo ad supremum eruditionis culmen evecta est. Daceriam agnoscis nostræ & gentis & ætatis ornamentum.

Verba hæc Fabri, morem scholarum paulò duriori reprehensione sugillantis.

* Méthode pour commencer les Humanités.

» *Dans une éducation si chère, je
» me gardai bien de suivre la méthode
» que l'on suit ordinairement; qui est
» de commencer par la composition.
» Il n'y a rien selon mon sens qui nuise
» si fort à un enfant. Je me suis toûjours étonné de voir pratiquer une
» telle méthode pour introduire les
» enfans dans la connoissance de la langue latine. Car cette langue est après
» tout comme les autres langues. Cependant qui a jamais oui dire qu'on
» commence l'Hébreu, l'Arabe, l'Espagnol par la composition? Un homme qui délibère là-dessus n'a pas
» grand commerce avec la raison. Quiconque me demandera pourquoi, je
» lui dirai que c'est à lui à prendre du
» tems pour y penser.

Eruditi omnes aliâ ratione stylum suum consecuti sunt.

At enim, inquies, quantivis ponderis, & pretii sint ea testimonia; omitti nisi temerè non potest ejusmodi linguarum tyrocinium quo sunt usi tot eloquio & omni doctrinæ laude celebres viri. Idem nobiscum sunt institutionis iter ingressi, idem mare trajecerunt: eadem nave vecti sunt: & earumdem regularum gubernaculo ad maxima quæque perducti.

Veriùs diceres eo sub regimine com-

mune omnes naufragium passos; ut aliqui evaderent ex periculo & emergerent ad lucem, tabulis oblatis fuisse feliciùs adjutos, aut usos perseverantiùs. Fuit saluti admiratio artis poëticæ & iliadis Bolæo, Feneloni Odyssæa, Iphigenia & Phædra Euripidis Racinio: fuit saluti Sigonio Sallustii quotidianus usus, Mabillonio Livii; Ciceronis Bembo, Longolio, Mureto, & Manutiis; omnibus eruditis assidua veterum imitatio saluti fuit, sermo constanter purus, nullo tempore insulsus.

Pervulgata ea est & jactata temerè opinio, esse tam multorum evanida studia vitio culpabilis voluntatis. Aliter est. Plerisque fraudi fuit præpostera viæ monstratio. Quò sit eundum nôrunt qui docent: non satis advertunt quâ tenendum sit iter. Quibus enim res malè cessit, (nongentis autem intra mille, & rem strenuè agentibus, malè cedere solet) ii eandem tamen omnes triverunt viam. Quibus autem bene, iis propterea cessit aliter, quòd eâ relictâ semitâ in aliam sese, nec serò, transtulerunt. Cessissent omnia feliciùs, promptiusque, si ab optimâ nuspiam dimovissent pedem. Toti demum in versandis veteribus, toti, inquam, fuerunt. Inde

studiorum spes melior & prosper exitus. Anteà euntium gradum regulæ ipsæ retardabant, & à vero itinere longè abducebant. Quibus igitur partum est eloquentiâ vel styli virtutibus nomen; eos nullo jure dixeris tuos: quorum studia pereunt, illos tibi imputa.

Quæ præcipuæ causæ huc usque extiterint cur adjumenta studiorum permultis vel nulla, vel tam modica contingerent; eas omnes uno verbo cum Cicerone concludam *: « Perversè di- » cere, perversè dicendo homines fa- » cilè consequuntur.

* Lib. 2. de Orat.

Nemini jam nec magistris ipsis ignotum est quam non sint latina, quam crebra tamen ac diuturna quæ scribuntur in illo litterarii rudimenti curriculo: *quid illic fieri denique non debeat* satis declaratum. Nunc dispiciamus, ut ad meliora vel eodem, vel breviori annorum curriculo perveniatur; *quid fieri oporteat.*

II.

Quid fieri debeat inquiritur.

QUÆ vulgarium nunc linguarum conditio est ac mechanica structura, eadem est & veterum. Defluit hinc sim-

plicissima naturæ lex & consentanea docendi disciplina.

Uti vulgares linguas usu vel bona audiendi, vel bona legendi, sic veteres adipiscimur; nunquam aliter. Nec laudatissima veterum scripta quisquam, nisi interpretando, poterit attingere. Hunc unicè necessarium interpretandi *usum roborat conjuncta usui grammatice, primùm elementaris, & post annos aliquot plenior illa & eruditior.*

Maximi hoc loco momenti est, quod supra observavimus, veteris Romæ adolescentulos, qui ad Græcorum artes instruebantur, eò nostratibus præstitisse, quòd cum illi mitterentur in ludum publicum, græcè sciebant & loquebantur; nostratibus linguæ græcæ aut latinæ nihil notum si nomen excipis: & eo fine linguarum magistris traduntur, ut aliquem ante omnia latinitatis usum comparent. Non potest igitur esse is nostrorum studiorum primus ordo qui Romanorum fuit. In aliud propterea tempus rejicienda est diligens conquisitio proprietatis & autorum critice, quarum artium fuit in publicâ Romanorum institutione tantus usus, & nostratibus quoque suo loco servabitur utilitas.

Eò dum tenditur, latinæ linguæ & græcæ necesse est inchoari rudimentum, non vivorum colloquiis, cum latina deforment; non scriptione ad regulas directâ; cum fallat illa omnes, & juvet neminem; sed probè instituto veterum scriptorum usu, quos consecuta omnium ætatum admiratio est.

Huic autem usui & ineundo & promovendo universa publici studii mirum in modum est comparata & accommodata forma, si modo mutetur, non consuetudo ipsa scribendi; sed scriptionum materies.

Scribuntur gallica, quæ latinè vertantur ex grammatices præceptis: hoc vanum, lugubre, exitiosum. Scribantur gallica quæ audito & intellecto priùs probo scriptore debeant ad eandem latinitatis formam reduci ac restitui: ibi lingua, non linguæ ludibrium: ibi linguæ legitimus usus: & sicubi fuerit ea lectio scriptioque frequens; illic sapiendi fons repertus: illic linguæ neque fallax, neque labile aut dediscendum principium.

Jamdudum fecit veterum laus & exquisita in omni genere oratio, ut artium magistri eos autores qui cæteris antecellerent, sive domi, sive in publico

ludo, prælegerent: unde omnibus pariter *Lectorum* nomen accreverat. Quoniam verò eſt humanus animus & ſui & ſuorum valdè amans, quidquid congeminum vel frequens in legendo magiſtri obſervaverant, illud ſubinde redigere in modum præcepti; dictare ad ſcribendi exemplar. Sic multa paucis annis congeri: excreſcere leges; & univerſa diſciplina litterarum in generalia converti. Diſcipuli in his eſſe: ad hanc & illam regulam dirigere aciem mentis, memoriam, ſtylum: regulas tenere omne genus, & quæ emendarentur excipere: eſſe interim peregrini in linguâ & ſcriptis veterum, quibus nempe prælegendis publici temporis pars vix aliqua ſupereſſet. Pro ingenuâ illa latinitate ſuam ſibi quiſque procudit. Itum eſt â veris ad inania.

Publici Lectores.

Fas igitur hinc abſcedere, illuc reverti, & auſpicari denique veteris rudimenta linguæ ab unicis veterum monumentis: cum ſit ibi eorum lingua, aut gentium nullibi.

Frequens vero querela eſt & prudentiſſimorum pervulgata ſermonibus, ſummam ſemper fuiſſe prioribus annis publici ſtudii tarditatem, & ingratiſſi-

Penuria ſcriptorum qualem requirit ætas.

ma docendi discendique initia, propterea quòd ex maximo librorum numero, qui latinè scripti superessent, nullus omninò reperiretur tantæ simplicitatis, quantam discentium captus requireret; idcircò rem facturum esse cum publicâ utilitate summoperè conjunctam, si quis vel excerperet ex autoribus locupletissimis, vel strueret ipse ex industriâ suâ fasciculum libellorum ejusmodi, qui essent ipsâ styli simplicitate incitandis puerorum conatibus idonei; qui tamen conjungerent cum suâ simplicitate mundissimi semper sermonis illecebras; & aliquâ deinde orationis firmitate quasi per gradus assurgerent.

Voces linguæ tum latinæ tum græcæ collegit Commenius, at neque veras, neque omnes; & jejuno minimèque imitabili stylo. Colloquia scripsit Corderius aptissima ætati, & exquisitè latina. Peccat eò tamen quod rationi pabulum proferat omninò nullum; sed intra septa suæ scholæ clausus, videatur aliò nunquam conjecisse oculos, ita totus est in puerilibus, & meras nugas crepat. In colloquiis Erasmi plus hilaritatis: vocum copia major & rerum;

ſed neoterica nec prioribus annis tempeſtiva latinitas.

Rem tentavere alii aliter; nulli minus juſto conſilio, vel infeliciori eventu, quàm qui, ea quæ latina non ſunt, novitiis auribus inculcant; aut ea quæ latina erant, evertendo perfecerunt, ut latina jam non eſſent.

Vulgata Scripturarum verſio; Dei eximium certè munus, in meliores tamen uſus conceſſum. Doctrinæ ſalutaris illic & morum, non latinitatis exemplar. Suis enim ſeſe viribus Chriſtiana veritas non eruditionis aut eloquentiæ ſpecie ſtabilivit.

E verſione Vulgatâ non petenda latinitas.

Venit aliis in mentem latini Scriptoris ita diſjici & everti poſſe ſtylum, ut à maternâ noſtrâ locutione non multum diſtaret, nec jam terreret pueros ullo difficultatis aſpectu.

Eorum qui latinè ſcripſerunt nunquam corrumpendus ſtylus.

Sic autem deformatæ orationis affinitas eſt magna quidem cum ætatis mediæ ſcriptoribus, nulla cum aureæ. Quid neceſſe fuit depravari veteres, cum pravis abundemus? Quantùm præterea nocet prima & diuturna mali conſuetudo in negotio morum, tantùm & in linguæ cujuſvis uſu. Quiſquis per annos quatuor ea legit quæ ſunt ad gallicum

noſtrum diſſimulata ſermonem, is gallica per annos quatuor legit; è Galliâ non dimovit pedem. Qui latinè loqueretur audivit hactenus neminem. Cum poſteà in limine latina ſcribentium conſtituetur, hoſpitem ſe ſentiet. Alia lingua, novi mores, nova rerum ſurget facies. Aut ad ſummum, ne quid, quod ſit verum diffiteri velle videamur; puero prodeſſe tantum poterit falſæ latinitatis quadrienne rudimentum, quantum prodeſſet Hiſpano hoſpiti diuturnus vel Lemovicenſis, vel Arvernici ſermonis uſus, Verſaliis deinde degere volenti. Verſalias veniret ille primùm omniùm. Quod ſi non aliò tranſtulerit aures, evadet ex Hiſpano Gallus. Mere Verſalienſia illic audiet. Pari denique celeritate Gallicè diſcet quâ ruſticè; nec Lemovicenſia dediſcere homini opus erit.

Supererat faciendi initii ratio, una quidem, ſed ea tutiſſima, ſi è ſcriptoribus probatis excerperentur quæ congruerent ætati, linguæ tamen ſervaretur integritas. Id optaverat Univerſitas Pariſienſis juſſeratque fieri ab ipſo ſcholarum ingreſſu, & ſervari gradatim in aliis ordinibus.

Prudentissimo illius in eam rem statuto (*a*) desideriisque litteratorum videtur satisfactum esse nuperrimo non fictitiæ latinitatis delectu, cui titulus:

(*a*) Vingt-troisième article des Statuts de l'Université de Paris, réformation de 1600.

Quoniam linguarum cognitio à bonis & priscis autoribus petenda est, videant Lectores quos Regentes vocant, ut delectum optimorum librorum habeant, nempe ut pueris adhuc rudioribus unà cum regulis Grammatices aliquid ex Terentianis fabulis, familiaribus Ciceronis Epistolis, Virgilii Bucolicis, & aliis hujusmodi purioribus autoribus prælegant; provectioribus aliquid de Sallustio cum Commentariis Cæsaris, Officiis Ciceronis & facilioribus ejusdem Ciceronis orationibus, unà cum Virgilio & Ovidio interpretentur. Regulas subinde utriusque Grammatices Latina cum Græcis conjungendo repetant, ut eos in cognitione linguæ utriusque confirment. Majoribus verò qui in secundâ vel primâ Classe se exercebunt, graviora Ciceronis opera, nempe Orationes, Tusculanas quæstiones & alia philosophica, libros de Oratore & ipsum Oratorem Brutum, partitiones Oratorias, Topica cum Quintiliano lectitent, non omissis interim Poetis, nempe Virgilio, Horatio, Catullo, Tibullo, Propertio, Persio, Juvenale, interdum & Plauto: & ut linguæ Græcæ non ignari existant post præcepta Grammatica aliquid de Homeri seu Iliade, seu Odysseâ, Hesiodi Opusculum ἔργα καὶ ἡμέραι nuncupatum, Theocriti εἰδύλλια ediscant, tumquosdam Platonis Dialogos, aliquot Demostenis & Isocratis Orationes, tum etiam Pindari Hymnos, & alia hujusmodi pro arbitrio Lectorum & captu discipulorum seligant. Libros obsoletos, neotericos qui nuper in Gymnasia invecti sunt, rejiciant & ad puriores fontes revocent.

Latini sermonis Exemplaria è Scriptoribus probatissimis (*a*). Græca audio pariter esse suo tempore ventura. Hîc veterum sermoni tanquam rei sacræ, parcere prima lex. Nihil emotum loco suo est. Ita tamen ætatis est habita ratio, ut quibus posset offendi discentium infirmitas, ea non everterentur quidem, quod nefas; sed removerentur ab legentium conspectu.

In illâ interim variarum excerptionum catenâ, video & id provisum fuisse, ut esset aliqua semper styli prioris cum subsequente similitudo, & gradatim surgentem lectorem spinæ nullæ, nulla impedimenta retardarent, sed euntem potius invitaret perpetua rerum novitas. Eo fine non tam propositæ morum præceptiones, quàm exempla lectissima simul, & per se satis fœta præceptionibus.

Adjectâ totius collectionis gallicâ interpretatione obtemperatum est eorum voluntati qui vel docere incipiunt, vel volunt obsoleta sua studia redintegrare; nec tamen magistrum asciscere.

(*a*) Modéles de Latinité, tirés des meilleurs Ecrivains, ou les Extraits de M. Chompré, chez les Freres Guerin.

Tenuis

Tenuis quidem hæc vel alia generis ejuſdem bibliotheca, & apta tempori eſt, & omni ſtylorum genere ac veluti ſucceſſione, ſatis abundat, ut legenti elaboretur ſapor, & cum ad ipſos deinde autores ventum erit, quorum ipſi eâ lectione ſuggeſtum deſiderium eſt, pabulum, quo inſuevit, agnoſcat; novitate non abſterreatur.

Si latinitatis exemplaribus Grammaticam adjunxerit primâ ætate ſolummodò elementarem; habet ille artis inſtrumenta. Non ampliori librorum apparatu, non nomenclatore, non particulis, non lacrymis opus.

Grammatica Elementaris.

CONSTAT autem illa elementorum Grammatice, quam breviſſimam exoptamus eſſe, generaliſſimis linguæ inſtitutionibus, quæ ad quatuor facillima exiguæque molis capita revocari poſſunt. Grammaticæ elementaris partes.

Primum Grammaticæ caput orationis partes primarias brevibus definitionibus & exemplis exponet.

Secundum habebit nominum pronominumque varios & conſtantes in ſuâ diverſitate flexus,

Tertium conjugationes verborum complectitur tam scilicet eorum quæ communem inter se normam sectantur, quàm quæ peculiares affectant sive modos, sive generationes temporum.

Quartum caput ad mentem Scioppii duodecim primas & maximè usitatas construendæ locutionis leges, concludit tenui foliolo, nullis verborum circuitionibus, at exemplis non brevibus tantum, sed è vero latinitatis fonte haustis, quæ magister interpretetur & explanet: qualia sunt.

1. *Cultus ager. Solum pingue. Tenerum gramen.*

2. *Simus & Crito vicini.*

3. *Funus procedit. Sequimur.*

4. *Rem omnem audies. Audita eloquar.*

5. *Itane contemnor abs te?*

6. *Quî scis eos discordare?*

His adde similia non magno numero, & in rebus maxime obviis. Reliqua paulatim inter legendum occurrent, & ipsâ parium exemplorum crebritate, in dies alia sese aliis agglomerabunt (*a*).

Frigida res Grammatice: frigida om-

(*a*) Quatuor hæc elementorum capita ab excerptionum editore collecta, & tenuissimo libello exposita prostant apud Ludovicum-Hippolitum Guerin.

nis doctrina ſignorum. Nec mirum: nos delectant res oratione ſignificatæ: orationis textura conſideratioque non item. Logicos & Grammaticos, quorum non valde diſſimilis labor, exerceat ea diſquiſitio, non pueros. Jubet igitur ſana ratio, quæ imprimis neceſſaria ſunt flexionum & ſyntaxis elementa in volumen exiguum contrahi, ac penſi lugubris oſtendi aliquem finem.

Eâ fiduciâ impendentur & faciliùs & alacriùs pleni aliquot menſes perdiſcendis probiſſimè iis quæ monuimus, ut pote quæ maximè generalia ſunt, ac ſine fine reditura, cum ſint naturalis in linguis omnibus inſtituti. Mirum ejuſmodi flexiones quàm properè, quàm incogitanter obtineantur, ubi aſſiduo ſocietatis obtinentur convictu & uſu. Aliter in lectione veterum. Tardiùs illic proceditur. Ut autem inducatur ſtudiis illis lux promtior & aliqua operandi celeritas, puerum primitùs in ſummè neceſſariis elementis retineri & exerceri ſemel, ſatiùs erit quàm millies eum titubare, tenui adminiculo egentem, atque hærere diù ad ſingulas voces, non ſentientem diſcrimina deſinentium ſyllabarum, nec primos orationis nexus,

Tum verò nullâ interpositâ morâ properabitur ad aliquem è scriptoribus litteraturæ politioris. Hîc ne mihi crede : crede Fabro , Daceriæ , Rollino & Vossio (*a*). Inter veteres , vel ab initio , unicè versabitur puer. Quod , quæso , quid aliud est quam Versaliis eum cooptare sibi sedem , qui gallicè discit. Ibi perpetua opportunitas & in mentem revocandi & exemplis confirmandi quidquid ei elementorum principiorumque antè provisum fuit. Ibi veras voces , verosque vocum usus repetendi frequentiâ infiget memoriæ , nec sibi , scribendo , procudet latinitatem necessariò rusticam , & alterius permixtione linguæ degenerem.

Initium à Sulpicii Severi historiâ , non à Phædri fabulis.

Si peritissimis earum rerum volumus gerere morem , non ducetur exordium interpretandi , à Phædri fabulis : quæ quanquam sint simplici scriptæ stylo ; metricè tamen sonant ; & ad numeros cadunt , neque aurem principio erudiunt ad ordinem sermonis usitati.

Pluribus ut placeret in hunc usum historia Eutropii , fecit , non sanè narrandi elegantia , quæ in homine nulla est , sed simplicissima dictio , & latini

(*a*) *Gerardi Joann. Vossii Opuscul. de studiorum ratione.*

ſermonis certior quàm in neoterica ſcriptione proprietas. Longè aliter docenti diſcentibuſque arridebit Sulpicii Severi ſacra hiſtoria, quæ fuit ab optimo viro & erudito ſcriptore in hunc ipſum adornata finem, ut ſtudioſa juventus, quam non mediocribus impenſis ad virtutem & litteras inſtrui curabat; haberet contractas in anguſtum volumen mundi & mundo coætaneæ religionis origines.

Accedit ad excellentiam materiæ, quòd elegantem Severi brevitatem, claritas omni loco conjuncta commendet. Si qua tamen inter eundum productior periodus occurrerit; poteſt illa, vel ad tempus omitti, vel dividi extemplò in tot ſeparatas orationes, quot membra complectebatur priùs.

Sive autem vel in Severi, vel in Eutropii compendioſiſſimis hiſtoriis conſiſtitur adhuc; ſive jam ventum eſt ad Juſtinum, vel potius ad Cornelii Nepotis delicatiſſimam ſed facilem tamen acceſſu latinitatem; omnis illuc in veteribus interpretandis magiſtrorum feretur ars, illuc tendet quæſtionum dexteritas omnis, & quotidiana enarrationum conſuetudo ut SCRIPTORES MORTUI COLLOQUENTIUM VIVORUM SUS- Docendi Artificium.

TINEANT PARTES, ET USUM LOQUENDI QUEM REPETENDO IMITANDOQUE DISCIPULI PLURIMUM CONSEQUENTUR, NON POSSINT NON HABERE SIMILLIMUM.

Hîc magiſtram naturam, hîc linguarum hiſtoriam ſequimur ducem. Si enim lingua quælibet præter naturale & omnibus commune ſignificandi artificium, habet inſuper vocum & collocationis proprietatem arbitriis hominum ſcriptorumque inventis conſtitutam; nos neutram partem ab alterâ ſejungemus, ne ſtructuræ ſtudia, & tentamina, ſi aliquot annis à ſcriptorum uſu ſejuncta fuerint, uſui reluctentur.

Ut fundamentalis illa linguæ compages introſpici ſtatim, deprehendique facillimè poſſit, id ſatis præſtat grammatica elementaris, & in illâ pervulgatâ latinos inter græcoſque ſcriptores conſtruendi libertate, commonſtrat eadem grammatica opportunis indiciis quæ ſit vocabuli cujuſque conſenſio cum aliis, quæ ſingulorum mens, & omnium ſimul intentio. Frequentiſſimus igitur ſit artis elementaris uſus in ipſo maximè principio interpretandi.

Eo fretus adjumento adoleſcens non ſtruet quidem ipſe orationem, quam legibus & ſuomet ingenio miſeram ſtrue-

ret ac suo magno malo; sed structæ orationis assignabit partes, partium ministeria declarabit, sensum non percipere non poterit.

Eo fine magno id usui erit si sæpe investiget in universa periodo verbum primarium, seu vocem illam quæ attributionem existentiæ vel actionis enunciat. Notabit continuò qua voce designetur vel persona, vel res, cui competit existentia, vel unde actio proficiscitur.

Si qua prætereà est quasi coincidens actio, si quod primario verbo subjectum verbum, & pronominis relativi nexu, aliterve conjunctum rei nominatæ vel ejus rei modo; harum partium possit ille reddere rationem, eas appellare, & flexibus vocum definire quid regat & quid regatur; quò denique tendant & confluant voces omnes propriis insignibus agnoscendæ.

Vocum verò singularum dum accusat sensum, connectionem, mutuosque respectus, non idcirco vocum interturbetur primus ordo. Feriat autem semper incolumis & illæsa latinitas, nec unquam linguæ vulgaris habitu suum commutet.

Nunquam turbandus latinitatis ordo. Stet intacta linguarum proprietas.

Affectant enim linguæ omnes, veteres præsertim, peculiarem figuram à

nostris vulgaribus omnino diversam; sive alium penitùs in collocandis vocabulis & rebus ordinem: quem si vexare volueris, te ipsum suavissimo sonorum concentu defraudas: vim quoque significandi aut pingendi extenuas: & ipse tibi audiendi organum, non volens, corrumpis; ut in posterum legitimo sono latinitatis affligi videatur, nec sibi esse satisfactum putet, nisi ante interpretandum percutiatur alieno.

Sit in exemplum brevissima periodus.

Goliathum, [1] *proceritatis insitatæ virum 1*, [2] *David adolescens 2*, [3] *impacto in ejus frontem lapide 3*, [4] *prostravit 4*: & [5] *allophylum, cum inermis puer esset 5*, [6] *ei detracto gladio 6*, [7] *confecit 7*.

Everſionis, quam constructionem vocant, incommoda.

Si, pro more scholarum, gallicè *construitur*, uti aiunt, ista periodus; eam verè destrui fateberis.

[2] *David adolescens 2* [4] *prostravit 4*. [1] *Goliathum virum proceritatis insitatæ 1*, [3] *lapide impacto in frontem ejus 3*, & [7] *confecit allophylum 7*, [6] *gladio detracto ei 6*; [5] *cum puer esset inermis 5*.

Rem gustu judica. Quis, quæso, hîc superest pristinæ latinitatis sapor. Adverte autem, dum narratiunculam hanc nostri sermonis more modoque disjiciunt, corruere ordinem rei, & ut grammatico nostro ordini, seu vulgarium linguarum paupertati consulatur, imaginem naturæ penitus everti.

In hâc enim prostremâ periodo, priùs prosternit puer quàm sit qui prosternatur. Jacet jam humi revolutus Gigas, ubi necdum lapidis aut fundæ facta mentio est: & ante jugulatur Philistæus, quàm habeat funditor unde hostem conficiat.

Ex quo efficitur id quod est observatu dignissimum, falli scilicet eos qui existimant in veteribus linguis *inverti (a)* rerum ordinem, cum sit reverà inversio linguarum nostrarum propria, non veterum.

Distat certè prima & verè latina periodus ab secundâ, ab nostro, inquam, gallicismo longissimè: & quanquam sit minimè oratoria, profert ipsa tamen hujus orationis historica latinitas imaginem rei gestæ. Si enim

(a) Voyez le Cours de Belles Lettres, fin du premier tom. par M. Batteux, Chanoine de l'Eglise de Reims, chez Saillant.

ad posituram vocum respicis, habes quod ne ars quidem pictorum præstare ipsa potest. Ad punctum temporis actio pictoria restringitur, eodem semper expressa vultu & gestu; eodem mansura semper loco. Hîc verò habes in brevis periodi complexu, continuam actionis & adjunctorum successionem.

Stant usitato more, nondum inito certamine bellatores duo (1): utriusque conditio dispar (2). Concurritur. Pueri fundâ emittitur lapis (3). Feritur viri frons (4). Prolapso suus ab inermi puero (5) detrahitur gladius (6). Eo demum conficitur (7).

Ibi naturæ grammatica subservit. Ita enim suas partes tuetur appositâ plerisque vocabulorum conveniente clausulâ, ut rerum tamen seriem non turbet, & idem sit periodi totius ordo, qui actionis fuit.

Eam victoriam narrat Sulpicius aliis quidem vocibus: at eâdem rei progressione. Goliathi priùs, ut decuit, mentione factâ res incipit geri.

David etiamnùm puer in prælium processit. Primoque ictu, misso fundâ lapide, allophylum perculit. Caput victi & spolia abstulit.

Ut linguarum nostrarum servitus & misera in hac parte conditio statim deprehendatur, tres tantum Sulpicianæ orationis voces more latinorum collocemus, deinde nostro. Eversio in linguis vulgaribus ad patiendum sensum necessaria.

Allophylum perculit puer.

Latine hoc dictum.

Puer perculit Allophylum.

Minus latinè. Posterior hæc forma nostris tamen est auribus usitatior. Inesse priori propterea inversionem suspicamur. Utro autem modo dixeris, nil interest ad sensum, qui in posteriori obvius est, in primâ pariter soni finalis opportunitate lucescit.

Latini & græci cum haberent clausularum & articuli beneficio sensum suæ orationis nunquam ancipitem, sed positum semper in propatulo; poterant impunè claritati adjungere varia ornamenta, & ipsâ collocatione vocum, vim significandi conciliare majorem. Hinc factum ut in ipso sermone non oratorio tantùm sed & domestico rem, situm, pericula, commoditates & ordinem agendi pingere viderentur. Quidquid emineret in dicendorum sensu, quidquid instaret in agendo, faciebant illi ut extaret in oratione, primisque positum sedibus ante omnia conspiceretur.

Lupum fuge.

Taurum, cornu petit ille, caveto.

Vos *iſtæc* intro auferte.

Malo me Galatæa petit.

Miles, *vultum* feri.

Si res tamen, locus, & juſta ratio, aliter fieri patiuntur, aut jubent; tum, non ſine aliquâ pulchritudinis acceſſione, nova orationi forma vocibus ordo alter inducitur. Sic ille Terentianus Pater ſeipſum priore loco, reliqua nominat alieno.

Primus ſentio mala noſtra.

Primus reſciſco omnia.

Primus porrò obnuncio.

Ægrè *ſolus*, ſi quid ſit, fero.

Homo ſui oſtentator dicit contra morem: ſed expreſsè & eleganter. Eam varietatem linguæ hodiernæ deſiderant. Prodeunt uno ſemper gradu, uno cultu, nec veſtis facere mutationem ſinit illarum egeſtas: quæ unde profecta ſit ipsâ ſtatim collatione deprehendes.

Puer perculit Allophylum.

Allophylum perculit puer.

Eædem in duplici formâ voces, ſenſus latinis idem. Apud nos dixerit quis:

Le Philiſtin tua l'Enfant.

Dixerit alter:

L'Enfant tua le Philiſtin.

Voces eædem: nihil dissimiles articuli: sed sensa duo sibi adversantia. Nec percipitur utriusque discrimen nisi ex ipso vocum situ. Sic negligi necesse est imaginem rerum & abjici varietatis illecebras omnes, ut obtineatur unicus ille ordo ad significandum ante omnia necessarius. Quem tritum ordinem vocum si tantisper turbas, inde sensus aut alter, aut nullus elicitur. Tantam servitutem adduxit articulorum incuria & immobilitas clausularum. Modicæ sanè utilitatis fuit, rerum nominibus quæ omni loco eadem sunt, præfigi articulos, qui pluribus in locis nihil significarent, qui ad sensum discriminandum essent omnino nullius auxilii, imo & sensum ambiguum parerent. Sic septentrionalium linguarum morbus meridionales omnes invasit: neque ullis posteriorum temporum remediis exsecari pestis illa potuit. Iisdem sonis, iisdem articulis omninò diversa enunciant Itali, si vocum situs vertitur.

» Il Giovanetto uccise il Philistino.

» Il Philistino uccise il Giovanetto.

Angli pariter.

» The boi Killed the Philistine.

» The Philistine Killed the boi.

Apud Europæos prope omnes ad ordinem vocum non rerum respicit proptereà qui loquitur & qui audit. Sic perit imaginis decor. Vix est aliquis illic libertatis & varietatis usus. Lege lata, discedi ab unico illo vocum ordine non potest. In omnem sic orationem dominium suum grammatica exercet, & primam ferè sedem assignat rei agenti, proximam *verbo* seu signo attributionis & judicii, tertiam personæ aut rei in quam transit actio:

(*L'Enfant*)[1] (*tua*)[2] (*le Philistin*;)[3]

Sedes reliquas his & illis adjunctorum signis. Dirigit mentem tenor unus, & quatuor aut quinque partium ante alias positura constansque successio. Quo quid excogitari frigidius potuit, & ornandæ orationi aut langori depellendo minus idoneum? Neque enim solummodò recurrit eadem semper cantilena, & fastidiosa seu brevium, seu productiorum periodorum similitudo: sed & ipsa hujus positionis ad pariendum sensum necessitas omnem prope præpedit elocutionis cum rerum varietate consensum; nisi caverit qui loquitur, ut quo vitio laborat in hâc parte natura ipsa nostri sermonis, illud ipse tegat ingenio & arte reparet.

Id præſtant aut præſtare omni ratione tentant qui vel græca, vel latina gallicè reddunt. Everſo enim veteris periodi ordine, & ad noſtrum revocato, ſtatim ſentit interpres imaginem naturæ deleri penitùs; ex agili tardam evadere orationem; tolli omnem denique diverſitatis aſpectum. Quâ uti ſeſe triſtitiâ eximat interpres, ubi membra plurima uno circuitu orationis apud veterem ſcriptorem connectuntur; ea dividit; & in totidem ſeparatas prope periodos diſpeſcit: hoc nimirum conſilio ut primam in ſermone gallico ſedem habeat ea pars quæ eſt in veteri textu, & in ordine naturæ prior; cæteræ partes ad naturæ ritum ſeriemque imaginis dicendo revertantur.

Eo autem in negotio contigit id mali interpretum compluribus aliiſque ſcriptoribus Europæis, ut vitium vitio emendarent. Unam quippe periodum dum diſſecant in tres aut quatuor ſingulariter breves, loquendi genus invehunt omni gravitate deſtitutum, vinculis omnibus exſolutum, ſemper exiliens & juveniliter inquietum.

Inter tot pericula ſi quis noſtratum elabitur, is eo juſtiore titulo laudem meruit, quòd conditionem ſanè diffi-

ciliorem ſit nactus: commodâ uſi ſunt Græci & Latini; quibus expedita omnia protinus ad bene dicendum forent. Poſito enim inter nos & illos ingeniorum æquilibrio, eſt ea noſtri ſermonis innata imbecillitas, fuit hoc veteris linguæ beneficium ut facilè illi noſtris hominibus antecellerent.

Quantumvis enim excultæ hodiernæ ac limatæ fuerint, unus illic dicendi trames. Omnis eodem tractu periodus ingreditur. Vix tentantur excurſus breves niſi cum obſcuritatis periculo, aut crimine levitatis. Stylus veterum in omni materiâ liber, & pro materiâ diverſus. Aliis illic aliiſque ſine fine picturis capitur mens, & cum vocum fiat frequens everſio, non pariter & rerum, ſequitur animus non tam verba quam res ipſas; aut ſi hæret non nihil incertus quem finem habitura ſententia ſit; ſuſpenſionis iſtius dexteritate arrigitur ad obtinendam ſensûs integritatem quam gratiorem facit ipſa ſollicitudo quærendi.

Nec tibi videatur ea hiſtorica de Davide periodus poſſe, potiſſimum quia hiſtorica ſit, præbere imaginem vel admittere. Linguas veterum ſequitur ea laus, in quocumque ſeſe genere dicendi

exerceant, videntur ad pingendum natæ. Exemplo sit in materiâ morum gallicè scripta sententia.

» (1) Nous devons (2) regarder com» me (3) un homme (4) d'une espéce peu » commune & presque divine (3), ce» lui (5) qui s'est (6) comporté (7) à l'é» gard de ses amis, (7) dans la mau» vaise comme (7) dans la bonne fortu» ne (7), d'une manière noble, égale, » & inébranlable.

Grammaticæ nostræ hic ordo, non naturæ. Quam verior simul & placentior apud Ciceronem * ! Non profert ille, more nostro, honorificum de eo viro judicium, quem anteà, quis esset, non declaraverit. Sed adducto priùs ut natura jubet, & ob oculos constituto eo quem voluit sistere ad nostrum tribunal, prolatoque deinde beneficentiæ & constantissimæ fidei testimonio, tum meritâ illum coronâ donat, & ad cœlum nobis plaudentibus extollit.

* *De Amicit.* 18.

a

b

c

(1) Le Nom & la personne agissante.
(2) Le Verbe ou l'expression de notre jugement.
(3) Le Régime, ou l'objèt sur lequel passe l'action.
(4) La manière d'être de l'objèt.
(5) Le Relatif qui fait l'attache de la phrase incidente.
(6) Le Verbe incident.
(7) La Préposition & ses suites. Voilà le train de toutes nos phrases.

a *Qui enim*, inquit, *utrâque in re gra-*
b *vem, conſtantem, ſtabilemque ſe in ami-*
citiâ præſtiterit, eum ex maximè raro ho-
c *minum genere judicare debemus ac pœnè*
divino.

Quam rerum naturalem ſeriem ſubvertit noſtræ grammaticæ tyrannis, eam Ciceronianus ordo libertaſque latina reſtituit. Nec tam Ciceronis ea laus quam linguæ.

Non debet igitur illa tam ſignificanter, tam ſuaviter ſonans oratio, apud aures præſertim teneras unquam diſſipari aut ſpoliari ſuo cultu, cum ſic recidat in paupertatem noſtram, & animis noxiam valdè patientiam ruſticitatis inducat.

Confer, quæſo, id quod everſa latinitate quæris cum eo quod negligis. Quæritur nempe ſimilitudinis adjumentum, & eo conſilio refricas ordinem dicendi quo tuæ ſunt per omne tempus imbutæ aures, ut ſermo latinus ad hunc tuum quàm maximâ fieri poteſt imitatione accedat. Atqui iſtud ipſum quod quæris, erat inquiſitione illâ minimè dignum, ſed potius à cogitatione tuâ quàm longiſſimè fieri poterat abigendum. Linguam veterem cum diu & omni loco tuæ ſimilem facis, aliam peni-

tus à seipsâ facis. Eam non tam investigas quàm abjicis, & à te, ne tua fiat, amandas.

Faceres potius inter Græcos & Romanos agens, quod constitutus Londini Gallus, qui se peregrinantium Gallorum subtrahit occursibus, quoniam sermonis Anglici nunquam sentit ordinem promtiùs, altiùsve recondit, quam SI NON REVOCAT ORDINEM SUI.

Vide interim quæ negligas. Eversâ toties aut dilaniatâ latinitate tibi perit sensus linguæ legitimus: perit imaginis decor & significandi quæsita vis: ipsaque consuetudine falsi, organum, si non perit, certè obtunditur & hebescit.

At enim aliqua euntibus præferenda fax est. Nisi autem antecesserit illa periodorum subversio, nisi inducatur illuc aliqua nostræ locutionis imitatio, versabuntur in tenebris tyrones, nunquam inde, tot salebras inter & loca lubrica, sese extricaturi. *Eversionis in scholis usitatæ utilitas nulla.*

Frustrà lucem vis inferre ubi dies est: frustrà sub imminente sole lampadem accersis. In istâ sermonis Romani structurâ, quam, quia est hominibus hodiernis insolens; quasi nigrescentem tricisque horridam reformidas, plurima semper affulget lux: ibi grammatica

ordinem naturæ ita reveretur, ut suo interim juri vel nostræ utilitati nihil deroget, neque ambiguitatis umbram, vel minimam superesse patiatur.

Manifestant syllabæ scilicet adjutrices ubi sit actio, ubi agens: signata vox quæ regit: signata quæ regitur. Sic latina, quæcumque voles interpretari, cedere loco non necesse est. Deturbetur nihil: & in ipso præcipuè rudimento, LINGUÆ AURES ACCOMMODA, NON AURIBUS LINGUAM: nisi aures cùm linguâ pessumdare decreveris.

Stante ac semper immotâ periodo notentur solummodò signa concordantium vocum: suus unicuique sensus attribuatur idiomate materno, singulatim & sine vinculis expressus. Hoc satis. Non priùs enim senserit lector quæ vox enunciet attributionem vel existentiæ, vel actionis, quæque voce nominativâ comite periodicum ducat agmen; quin reliquis vocibus Gallicis eum statim inferat ipse ordinem qui est sui sermonis proprius, & longâ sibi consuetudine profluens.

Rudimenti cautio triplex. Facientibus initium interpretandi sic erit necessaria triplex cautio, 1°. ut propositi ad legendum scriptoris, quanquam probatissimi, sit plurima tamen

ſimplicitas; 2°. ut adjungatur interpretationi uſus elementorum frequens; 3°. & in interpretando ſtet latinitatis ordo ſemper inconcuſſus.

Inſigne nunc & optimo magiſtro dignum artificium non aliud eſt ab ipſo naturæ docentis artificio, quod ſi ſequitur is qui alios docet, eos non dubio eventu docet. Docendi præcipuum artificium, naturam docentem imitari.

Nobis enim natura ſive ſpectaculum rerum, ſive hominum ſenſa non revelat niſi ſignis properè tranſcurrentibus, & exteriùs emiſſis, odorem puta, vel figuram, coloremve, aut tactum, nutus quoque capitis & oculorum manuum totiuſque corporis circumactionem, promtiſſima denique tot diſſimilium rerum indicia.

Ea rerum naturalia ſigna breviter & commodè deinde revocantur in mentem unico ſono vocis, per ſe nihil omninò ſignificante, & ad arbitrium inſtituto. Soni pariter exprimuntur his & illis litterarum ductibus ex aliorum conſenſu.

Quò major naturalium ſignorum numerus præceſſerit hòc altiora rei veſtigia memoriæ imprimentur, & cuilibet etiam non naturali poſteà indicio conſociabuntur; ut percepto ſive ſono vocis, ſive ſolo litterularum ductu, tum

rei & color, & figura, & odor & cætera ſigna reviviſcant.

Acceſſit ad naturæ induſtriam verè divinam ſumma quoque benignitas. Uti enim ſocietatis & naturæ autori placitum eſt res ad vitæ uſum neceſſarias plurimâ hominis exercitatione comparari; ſic voluit indicationes rerum præpetes & exertas eſſe; non percipiendi difficultate retardari. Plantam formâ, vel ſapore fructum diſcernere nullus labor. Plantam colere, fructum obtinere, hic labor. In iis quæ donat, & homini exercendo deſtinat Providentia, hominis manum ſollicitat & expectat. In iis quæ docet, præit ipſa: præfert rationi noſtræ facem, ne aberret, eamque prævio ſigno ad neceſſaria quæque perducit: & ſive ſint ordine naturæ, ſive ſocietatis arbitrio conſtituta ſigna, nihil illis agilius.

Quo igitur ſingulari genere philoſophandi volunt grammatici complures longum & negotioſum eſſe quod natura voluerat eſſe promtiſſimum? Quâ juſtâ exceptione ſtatutum foret ut ſexcentis regulis & machinamentis accederetur, ſi ſic acceditur tamen, ad limina linguæ Romanorum, quam linguam jucundiſſimus uſus, ut cæteras linguas,

ut cætera ſigna percipit, arripit, poti-turque celeriter.

Sit itaque laborioſa rerum, non vocum conquiſitio. Quo majori enim nervorum mentiſque contentione rem perdidiceris, hòc ſanè futura eſt rei ſcientia tenacior. In linguis autem perdiſcendis pariter & utendis natura jubet actionem mentis eſſe nòn tardam, non triſtem, ſed ipſa immunitate laboris, expeditiſſimam.

Videndum propiùs tamen in latinæ ut cæterarum tradendâ diſciplinâ, quid curis diſcentium, natura ſubductum eſſe voluerit ut labore liberemur non neceſſario; tum quod illa ſollicitudini noſtræ commiſerit, ne ſimus, detrimento noſtro, juſti & neceſſarii operis non patientes.

Ut igitur in omni naturali revelatione duplex eſt progreſſionis tempus, ita & in cujuſlibet ſermonis, qui naturæ pars eſt, tradendâ doctrinâ duplex pariter gradus eſto. Primum tempus quo res ipſæ & obvia ſigna rerum ſine ullâ noſtræ aut manus aut mentis operâ, ſed extrinſecus adminiſtrantur & uſui noſtro cedunt ipsâ rerum præſentiâ vel alienâ monſtratione: ſeque ſic mutuò juvant concurrentia indicia,

Discendi progressus duplex.

ut rem, licet absentem, revocent in memoriam, & pleraque signa, si absint, unius deinde præsentiâ suppleantur. Gradus alter quo quis & rem & rei signum assecutus, signi jam sibi noti naturam, species diversas, omnes denique situs & usus observat, ut fiat signi tractandi versandique frequentiâ in rei significatæ cognitione magis ac magis perspicax.

Botanicæ rei vir peritus discrevit ab anemone ranunculum, ab hyacinto narcissum, plantas, ut vocant, *usuales* è turbâ discriminavit ab initio simplici nempe aspectu, olfactu, formâ, flore, nomine, signis communibus. Ranunculos deinde, rosasque, & reliqua communioris usûs germina, vel si libuerit, plantas, quotquot hactenus dignosci potuere; distribuet in varios ordines, & subdividet signorum consideratione diligentiori, constitutis in unâ quâque petalis, staminum pistillique situ, viriditate, odoramentis, coloribus, caractere florum, utilitatibus, appellationibus: ut jam notis ejusmodi sibi habeat absentis & exoticæ plantæ non dissentaneam imaginem.

In primo gradu fit sine tædio, sine labore signorum cum rebus & eorumdem

inter

inter se connexio. In altero gradu majus movetur: opus ipsa signorum, non visis rebus, conquisitio & compositio novum atque operosum scientiæ constituit genus. Affert ipsa tamen vel prævia nonnulla rerum monstratio, vel societas indivulsa signorum complurium, non parùm adjumenti, cum aliquo ad observanda minutissima quæque incitamento.

Primus gradus. Rerum ostensio.

In primo pariter latinitatis aliarumque linguarum ingressu, neque res ostenditur sine suo signo, neque signum profertur ullum sine re; sed utrumque simul. Ubi deinde res erunt aut absentes aut incognitæ penitus, eas tanta signorum notissimorum consociatio dilucidabit ut videantur exhiberi coram, nec jam rei nomen habitusque de eâ re sermo avelli se ab ejus recordatione patiatur. Est autem progressionis hujus in linguis longè major quàm in signis aliis necessitas. In plerisque artium possunt vel ab initio signa non incommodè sejungi à rebus: tractati possunt & animo percipi; non possunt in linguis. In architectonices aut agriculturæ tradendâ disciplinâ, nihil vetat apud quos voles, & ubi voles, non monstratis rebus facere te verba de delectu locorum,

aquæ, aeris, aut materiarum, de utilitate arandi, ſtercorandi, runcandi; præeunte ſcilicet aliquâ jam earum rerum notitiâ. Conticeſcent omnes. Auſcultabunt: quæ ſignificantur, & præcipiuntur, intelligent. Non ſic ſe res habet in doctrinâ linguarum. Sumto, ut moris eſt, à ſignis nudis exordio, ubi incipies habere ſermonem de vocibus, de perſonâ, de agente, de patiente, de tempore, de caſibus, de re, de modo, de gerundiis, de ſupino; quid pluribus opus? Illicò oſcitabuntur omnes.

A rebus abducta ſcilicet ejuſmodi ſigna vertuntur in ſpecies incorporeas, minimè ſenſiles, merè metaphyſicas; quarum mentione & ancipiti aſpectu ſi contriſtatur vir, eo non allicietur puer.

Uti ab rebus grammaticis abhorret puerorum ſenſus, nec valdè jucundiùs eos afficiet prælectio ſcriptoris veteris cui non præiverit aliqua prælegendæ rei expoſitio. Fiat igitur in illo ſcholarum rudimento, quod fieri in naturâ & ſocietate ſolet. Nihil enuncietur latinè quod non fuerit præambulâ declaratione notum audientibus, & quaſi ob oculos poſitum. Tum verò ſoni Romani, Græci, Hebraïci, quos deni-

que voles, rei notæ non inviti adhærescent.

Res commonstra. Si absunt, congere absentium signa. Ubi res vel monstratæ, vel depictæ placuerint, signa rebus & ipsa sibi sese miris modis agglutinabunt.

Istud negotii, ut natura facillimo signorum usu deproperat, sic schola vel retardat, vel evertit, nondum tempestivâ signorum consideratione. Næ ille naturæ legibus & gentium omnium constanti experientiæ resistit, quisquis ignotæ linguæ rudimentum auspicatur à signis meris, à perpetuâ in interpretando subversione signorum omnium, ac præcipuè ab inutili non minùs quàm operosâ nunc hujus nunc alterius signi conquisitione, selectione, compositione. Nec nisi absurdè jubemus puellum in vasto nomenclatore, in abstractis à sensu generalitatibus evagari reptantem, flebiliterque vestigantem, quæ si repererit, nullo justo indicio cæteris anteponet, nec nisi fallente normâ collocabit.

Tres voces in eundem prope sensum recidentes Gallicæ voci, ut fit, respondeant: eum necesse est hærere incertum utram ableget, utram recipiat. Neque

rem novit, neque usitata indicia rei. Latinèque scribit, ut Gallicè locutum narrant Helvetium illum qui, cum interrogaretur de recenter consuta sibi veste quid sentiret; usus libro vocabulorum indice respondit: » L'habit est » propre & *bel*, mais pas *équitable* à » mon corps.

Quas prætereà voces materiâ repugnante delegerit; eas usu reclamante construet. Vide verò quàm sis iniquus præ studio, dum exigis à discipulo quod præstari nullâ ratione potest. Eum nempe jubes ignotarum sibi vocum quæ sit optima & apta loco definire; tum plures alias incertæ pariter virtutis adjungere priori, quasi pro certo habeat omnes concentum servaturas. Quin jubes, quin imperas minaciter ut quis in tuo famulatu adhuc novitius puer, quos tu optas, at ille nullibi gentium vidit, eos agnoscat ex aspectu, eos è turbâ segreget, iis quoque idem contubernium, & comites ignotos assignet, sine minimo futuræ inter illos dissentionis metu.

Cùm sit illa signorum tristis, clauda & cæca conquisitio non comperto scilicet eorum usu & sensu; accedit ad longum fastidium summa plerumque operis inu-

tilitas. Incumbit igitur amantiſſimis litterariæ rei magiſtris juſta non tamen moleſta, neque periculi quidquam ſecum allatura neceſſitas, rudimenti & ordiendi & exſequendi, præmiſſis rerum monſtrationibus, & autorum ſervato conſtanter uſu; non ſcriptione illâ ludificatoriâ, non illo regularum apparatu qui in anteceſſum barbara docet, ac diſcentium labefactat aures, linguam, judicium, ſtylum.

Si verò volumus imitari naturæ tot ac tanta docentis induſtriam mirabilemque agilitatem, eundum eſt naturâ regente greſſum. Quid enim? Advenienti apud nos hoſpiti num ullæ, quæſo, ſcribendi præceptiones obtruduntur? Primùm omnium res quælibet ejus nullo negotio ſolet aut cadere ſponte ſub hominis aſpectum, aut colloquentium digito indicari: ſic notis jam rebus adjunguntur vocabula, & juſtæ poſitiones vocabulorum. Rem videt ille: ſonum tenet. Sonum ſono annectit: & ut ſonos uſu, ſic ſonorum juncturas definit unici uſûs arbitratu; nunquam ſuo. In ſcholis haberi ſimilia quid obſtat? Ita rerum monſtrationibus exhilarentur & capiantur animi, ut cognitis rebus adjuncta ſtatim ſigna retineantur. Signa, inquam, non fictitia, non

manca, vel quæ, cum ſint ad linguæ alterius ingenium detorta, jam ſigna non ſunt, veteris eſſe linguæ deſierunt.

Rem definivit Plutarchus.

Eo artificio Plutarchus jam ſenex, Romanorum linguam, quam, ſuâ ſuperbiens eò uſque neglexerat, conſecutum ſe eſſe narrat, nullo magiſtro utentem, nec de vocibus ipſis aut ſtructurâ valdè ſollicitum.

» Serò tandem, inquit, & ætate » provectiore latinas attigimus litteras. » Uſu venit autem nobis res quidem » mira, ſed vera tamen, ut non tam » ex verbis res cognoſceremus & per- » ciperemus, quam notitiam utcumque » aſſecuti rerum, harum ſubſidio ut » aſſequeremur & verba, &c.

Miratus ille eſt quod erat admiratione minimè dignum, rem conſtanter in omnibus operante naturâ. Nullius enim rei obſcurum eſt aut acquiſitu difficile ſignum, ubi ſigno anteceſſit aliqua rei notitia.

(a) Ὀψέ ποτε καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας ἠψάμεθα Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν ἐντυγχάνειν. Καὶ πρᾶγμα θαυμαστὸν μὲν, ἀλλ' ἀληθὲς ἐπάσχομεν. οὐ γὰρ οὕτως ἐκ τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα συνιέναι καὶ γνωρίζειν συνέβαινεν ἡμῖν ὡς ἐκ τῶν πραγμάτων, ὧν ἁμωσγέπως εἴχομεν ἐμπειρίας, ἐπακολουθεῖν διὰ ταῦτα καὶ τοῖς ὀνόμασι, &c. Vitæ parall. Demoſt. & Cicer. init.

Nisi forte, sic salvo Plutarchi honore, & apposité ad rem nostram observare voluerimus esse in hac parte potiorem pueri conditionem quàm senis: cum mollia organa rerum monstratarum signis & novo se idiomari meliùs accommodent quàm senilia, quæ longo sermonis unius habitu & flexu duruerunt. Memoria puerorum tabula rasa: sed ut rerum inops, ita & appetens: omnium specierum capax, earum tamen unicè tenax quæ ingeruntur nec sine virtute ordinis, nec sine voluptatis aliquo sensu.

Rem tenebris ab exordio ne involve. Rem noverit puer. Hoc primum. Circumsonet ejus deinde auribus rei signum: interrogando & diversimodè repetendo, geminetur ex industriâ. In illo itu redituque à rebus ad signa, tum à vocibus ad res luculenter indigitatas, adeò tenacia speciebus utrisque vincula injiciuntur, ut recordationem rei latina vox, & vocem prolatam recordatio rei subsequatur.

Tempus erit cum signorum fiet usus, praeeunte tandem nullâ rerum ostensione. Tempus erit cum lector sonorum significatione fretus ipsa signa curiosiùs introspicere volet, ulterioremque **Gradus alter.**

significandi vim, si qua sit, & usus omnes vel proprios, vel tralatitios excutiet, qui sanè labor facturus est illum in rerum quoque disquisitione magis perspicacem.

Exercitationum series rationi & experientiæ consentanea.

Eò perduci poterit prudenter adornatâ ejusmodi exercitationum serie, quæ naturam docentem imitentur, & allectent appetitum curiositatis, non fascis injusti sensu aut metu opprimant.

Rerum nomenclatura.

Primis annis adhibebitur per speciem ludi, retinebiturque sequentibus, rerum digito monstratarum latina nomenclatio, quod genus exercitatiunculæ & eam delectat ætatem, & penum provectiori parat. Signare singula suis nominibus hoc linguarum limen. Fuit ea prima neque injucunda omnium nostrum eruditio. Nunquam enim sunt ingrata cogitatu, nec facilè oblıterantur quæ vi a placuerunt. Notum quanto curiositatis impetu se ingerat puer, si occurrerint volucrum species novæ, manipulorum militarium longa series, armata navis, agrorum prospectus, & alia multa, quorum ne in aliâ quidem ætate, sunt ingrata spectacula.

Sic res omninò diversæ & singularum deinde partes propriis insignitæ nominibus tam vernaculis quàm latinis,

quanquam magno numero, tamen ordinem servant, ipso se ordine subnectunt invicem, & nodos catenæ constituunt nullâ temporis diuturnitate solubiles.

Ferrea puerorum memoria est: frequens apud eos mentio Musæ ac Penelopes, frequens laboris & pigritiæ, frequens Pantaleonis & Ægidii. Quid si quæ auribus eorum effutiuntur ingrata, inordinata, sine dignitate, sine nexu, ea tamen recondunt illi ac tenent; quantò facilius erit comparari hac ætate, cum plurimâ jam rerum cognitione, justam quoque vocum supellectilem! Quam plenum prudentiæ opus erit novitatis illecebras, virtutemque ordinis ab illâ nunquam monstratione sejungi.

Quoniam verò omnium rerum non est aspectus æquè liber, aut æquè facilis accessus; debet unius absentia commoditatis, alterius opportunitate supplementoque, reparari. Quæ auribus tantum percipiuntur, ea mentem segnius movent, quam quæ statuuntur ante oculos: neque rem dicturus sum, aut abhorrentem à naturâ mentis humanæ, aut usu non comprobatam, si autor ero ut subjiciantur oculis discentium sculptæ non ineleganter imagines

earum rerum quæ in conſpectum dari ipſæ non poterunt.

Quodcumque ſic oſtenderis, etiamſi conflatum ex variis partibus corpus erit, membris tamen ſingulis numerica ſua nota præfigitur. In alterâ cartâ numeris iiſdem convenientia nomina reſpondebunt. Et nunc digito commonſtratis figuræ partibus, nomina reddentur : nunc audito nomine in partem figuræ ſignatam digitus incurret. Ne aberret puer, hoc præſtat junctura partium & plurima exercitationis hilaritas.

His artibus, aliiſve pro tuâ prudentiâ excogitandis incipies ætatis inſcientiæ non nihil mederi, & infigere memoriæ denominationes animalium, navis, portûſque & commerciorum deſcriptiones, rem agrariam, rem hortenſem, rem veſtiariam & miram induſtriam textrinæ, inſtrumenta coquinaria, variarum rerum officinas, & naturæ non levem diſtributionem.

Hujuſmodi vocabula & ſejuncta ſigna quantocumque numero congeras, magno congeris diſcentium commodo, magno curioſitatis irritamento, nullo fallendi periculo. Quòd ſi verò tuum de re obviâ judicium interponis; ſi voci adjungis vocem; hîc maxima ſanè, ut

in materia morum, debetur puero reverentia. Cave committas unquam uti duæ tresve voces ordine collocentur hodierno, aut ritu paterni tui sermonis incedanr. Sunt latinæ illæ quidem : sed erat necesse præterea ut latino more habituque prodirent. Hic versaris in iis quæ Romanorum sancivit usus. Veteres igitur adi ; & ne quid non latinum audiatur, utere latinitate, non quæ tua sit, sed quæ possit exemplaris loco esse, reperi impunè, & laudari confidenter.

Ut igitur sermonis gallici structura ex hominum nostrorum consuetudine requiritur, eorum præsertim qui sint ingenuè ac liberaliter instituti; sic structura & norma orationis tam græcæ quàm latinæ ab optimis veterum ritè repetetur, aliunde nunquam.

Ne quid hîc autem eorum deesse videatur quæ rei intelligentiam & signi recordationem in familiari linguarum nostrarum usu promovent, conjungendæ pariter sunt eæ exercitationes & artes quæ dexteritatem naturæ pro certo imitentur ; & usum, si non præstant æquè agilem, saltem bonum præstent, vacuumque omni falsitatis & barbarismi periculo.

Quoniam est hic naturæ notus ordo,

rem priùs oſtendi præſentem, vel abſentem deſcribi, tum ſuo eam nomine appellari; prima ſcholarum exercitatio & naturæ imitatio ſit, ea quæ in veteri ſcriptore legenda ſunt, GALLICE VEL PRÆLEGI, VEL EXPONI.

Quid illic agatur, certior ſic fiet puer nullâ primùm factâ latinitâtis mentione: ſic primo aditu hilarantur animi, nec inani vocum ignotarum ſtrepitu fatigantur. Hîc revoca quæ dicta ſunt: verſamur in primo rudimenti gradu.

Si quis hîc velit eſſe laborioſæ conquiſitioni aut ærumnis locum, næ ille neque naturæ admirabilem celeritatem aut juſta deſideria ſatis novit; neque mentis humanæ progreſſum aut captum.

Secunda exercitatio ſit ejuſdem materiæ ex veteri ſcriptore in patrium ſermonem verſio & INTERPRETATIO.

Tertia, LATINÆ ORATIONIS RESUMTA LECTIO AD FLEXUM SONUMQUE COLLOQUII FAMILIARIS, nunquam odioſum æqualitate, ſemper cum ſignificatione conſentientem, memoriæ in omnibus opitulantem.

Tres illæ partes, docentis ſunt; quæ ſequuntur diſcentium.

Quarta exercitatio. INTERPRETATIONIS

REPETITIO NON TURBATA ULLATENUS LATINITATE.

Quinta, REI TOTIUS GALLICA ENARRATIO.

Sexta, FIDELIS AD ELEMENTAREM GRAMMATICAM LATINARUM DICTIONUM REVOCATIO. Quæ pars poterit esse per prioris anni decursum domesticæ scriptionis materies; & pro discentium progressu aut contrahi prudenter aut aliquando tandem supprimi.

Septima exercitatio, GALLICÆ INTERPRETATIONIS IN EANDEM LATINITATEM CONVERSIO, non priùs tamen habitura locum quàm sit usu nonnihil confirmata & agilis interpretatio.

Octava, EJUSDEM ORATIONIS IN LATINUM SERMONEM CONVERSÆ EXTEMPORANEA IDENTIDEM SCRIPTIO.

Quæ diversæ operum species, quanquam judicio magis quàm memoriâ exerceantur, itá nullius ingenii captum superant, ita auditores omnes allectabunt, ut nulli eorum jam queant esse somnolenti, & necessariò, ut fit, elingues materni sermonis egestate. Nam continget sic omnibus, si non statim copia jam aliqua latini sermonis, certè usus & perpetuus & liberior sui. Quidni & plurima quoque succrescet eorum in-

telligentia, quæ per plures annos enarrabuntur gallicè & egregiâ semper oratione scripta audientur. Intelligentiam dictorum repetendique usum subsequetur aliquis etiam gustus, gustum necessaria in legendo voluptas, & ad ulteriora perveniendi desiderium.

Neque hujus disciplinæ minima laus, quòd qui eâ nonnihil est adeptus fiduciæ, facturus est ipse, si libuerit, periculum sui. Si pretio redemeris interpretem cum veteri textu, hoc satis. Tum poterit ire viam sine duce, & sensu alicujus jam suæ firmitatis frui.

Sunt enim quæ diximus & eventu tutissima & peractu facillima: quæ qui per se ipse tentare velit, sive puer, sive vir, mensium paucorum tentamine linguam exsolvet: & cum solus esse videatur, nec solus erit, nec locutionis optimæ perpetuo exemplari magistroque destituetur. Si repetendo aberrat, habet qui moneat amicè & verè. Habet pariter qui det quoque plausum, cum repetendi consuetudine & imitandi alacritate, ad ea quæ prælecta sunt proximè accesserit.

Quas hîc censemus tam privatorum utilitatibus quàm publicis idoneas exercitationes & artes, nihil habent quod

ſit meum, vel novum. Sic linguæ quotquot ſunt ubique gentium comparantur. Ubique gentium præit rerum deſignatio. Subſequitur vocum creberrima repetitio. Imitatur dicentem matrem puer: Terentium pariter imitabitur. Imitandi celeritate promovetur opus: plurimâ ſcribendi denique curâ perficitur.

Operis autem publici quoniam potior nobis ratio eſt, horarum diurnâ diſtributione neceſſarias exercitationes ſic partiemur ut palàm fiat omnium ſcholarum conſtitutionem non modò non labefactari his artibus aut immutari vel minimùm; ſed adjuvari haud mediocriter, & in ſuum finem celeriùs perduci.

Operis diurni in ſcholis diſtributio.

Solent magiſtro tyrones operam dare per antemeridianas horas ferè duas cum ſemiſſe, per pomeridianas totidem. Poſtquam ii qui in ſcholarum infimis ordinibus audiunt, nominum flexiones & verborum, vigintique ad ſummum ſyntaxis, ut aiunt, leges perdidicerint exemplis brevibus & bonis expreſſas; omne ſuum tempus impendent audiendæ & iterandæ optimi ſcriptoris interpretationi. Excerptionibus ac delectu nunc proviſum, ut iſtud operis mora nulla retardaret. Una tum poterit eſſe

divisio temporis in tribus ordinibus; septimo scilicet, sexto, & quinto. Qui unius anni formam rectè nôrit, trium noverit.

Diurnam hanc operis publici dimensionem meminerit lector à nobis institutam non arrogantiâ ullâ præcipiendi aut reprehendendi; sed solâ necessitate demonstrandæ hypothesis, ut studiis ejusmodi, quæ domi, testante Rollino, exercentur tam prosperè, in ludo publico idoneus ordo assignetur.

Prima semi-hora.
Quis exercendæ memoriæ modus.

Horæ minuta viginti ad summum experiendæ memoriæ attribui & præsumi solent. Materiam rationemque recitandi volunt omnes eam esse quæ habeat utilitatem ac venustatem. Nunquam aberit utilitas, si primùm omnium recitantur alternis vicibus pars aliqua Catechismi diœcesani, aliqua Catechismi illius tum historici tum dogmatici, quem celeberrimus Claudius Fleury publici juris fecit, Catholicus orbis laudavit.

Non deerit venustas in recitando, si eodem vocis flexu qui solet in familiaribus colloquiis usurpari; recitetur assignata & prælecta priùs à magistro vel fabella, vel historia. Quod ut præstari commodè ab omnibus queat,

ſub ſemihoræ finem, vel alteram fabellam, vel hiſtoriæ alteram partem pronunciabit magiſter ipſe, aſſignabitque domi exſcribendam.

Omninò ſupervacuum videtur inquiri ſuper ea narratione num alii alios interrogaverint, quibuſve auxiliis exſcripſerint. Satis fuerit, ſi deſcripta eorum manu decenter pronuncietur. Aliquo jam formati uſu, diſcent alienâ operâ non indigere.

Fabularum copiam ſatis uberem miniſtrabunt gallicæ interpretationes, Æſopi ſcilicet ante alias, propter convenientem ætati ſimplicitatem, Phædri deinde & Faerni gallicè tantùm prælectæ. Poſtremo loco adjungetur cæteris, non ſine aliquâ delectûs prudentiâ, Fontani noſtri elegantiſſimus & poſt annos octoginta ſemper recens theſaurus. Reddent autem qui recitant, eandem narrationem liberrimo ſtylo: reddent veneres non numeros, non exitus verſuum ſimiliter cadentes In iis quæ ſic ſcripſerint & ſuis verbis enunciaverint, afferunt illi jam de ſuo aliquid.

Non ſunt iſta nugæ, ſed elementa cogitandi. Narratiunculas igitur omnes domi aſſervabit puer, ſuâ manu deſcriptas, quidni & ſuo ſtylo, ſed

emendatas tamen, uti eas &, cum libitum erit, resumat impunè, & petentibus commodè administret.

Ubi apologorum moralium finis erit, per particulas distributa succedet *Historia Vetus*, & ea primùm quæ nomine Testamenti veteris (*a*) inscribitur. Deinde *Vita Christi* (*b*); tum aureus liber *De moribus Christianorum* (*c*).

Quam puer ab ore magistri exceperit historiam retuleritque in capite pensi communis exscriptam, narrabit in primâ ruditate, de verbo ad verbum, vel solâ habitâ ratione sensûs. Si exhibet sensum, perinde sit, ac si verba: ea est enim mentis & linguæ necessitudo, quasive indivulsa societas, ut venustiùs paulatim liberiùsque dicat qui, ea quæ sentit sermone extemporaneo enunciat, quàm qui enunciat serviliter quæ didicit exscripta verbis aut alienis aut suis.

Autoris interpretatio per horæ plenissimæ decursum. Contracto intra exiguos limites prioris exercitationis intervallo, subsequentem horam, quanta est, autori in patrium sermonem vertendo, suæque statim latinitati reddendo, magister attri-

(*a*) Un volume in-12. chez Desaint & Saillant.
(*b*) Par le Tourneux, in-16. chez Josse & Delespine.
(*c*) Chez Mariette.

buet. Quæ cum ſit matutini & pomeridiani operis maximè ſolida pars, ut ſit eventu quoque maximè frugifera, profeſſor inde aſſignabit variam pro diſcentium gradu domeſticæ ſcriptionis materiem.

In illo rerum exordio, ſatis ipſi per aliquot menſes fuerit, ſi totius prælectionis partes enucleatim deſcribantur domi, & ad elementa ſua ſingulæ voces viva voce priùs revocatæ, ſcripto quoque excutiantur. Poſteà præcipiet gallicæ interpretationis partem quam volet priori penſo adnecti, mox interpretationem ferè univerſam deſcribi.

Ubi viſum erit ſupprimi tandem poſſe elementarium partium expoſitionem, tunc omnibus omni tempore in commune penſum ſtatuetur, ut gallicam interpretationem quam auribus à magiſtro exceperint, ſcripto expreſſam referant: narratiunculâ ſemper præfixâ.

Propoſitis aliquot jam pro tempore ac loco, quæſtionibus, & à magiſtro reſolutis, non ſolùm extemporaneâ repetitione, ſed ſcripto quoque ſatisfacient qui cæteris antecellent. Sit iſta eorum propria laus, nec niſi ab iis id operis expectabitur, uti & præſtetur à pluribus.

Eorum qui cæteris antecellunt peculiaris labor.

Quos interim viderit magiſter elementarium præceptionum nimis egentes, eos in elementorum doctrinâ & ſcriptione retinebit ac recoqui curabit.

Sic ſummæ temporis accreſcet plurimum ſublatâ in ſcholis neceſſitate dictandi, eâ præſertim ætate, ubi neque calami celer aut certus uſus, neque atramento fides. Notiſſima prætereà omnibus erit ſui penſi materies: nullum periculum ſcribendi falſa pro veris: unde turbæ: unde lacrymæ.

Horæ ultimæ pars prior.

Horam quæ ſupereſt bifariam dividemus. Dabitur pars prior viſendis hinc inde ſcriptionibus: quarum ut lectio tamen, aliquo novitatis acumine recreetur, obtineri paulatim poterit, ut quam ſuæ interpretationis partem legerit eorum unus, cum alterius interpretatione conferatur; eamdem deinde ipſe & alter, aliique more concertantium, priſtinæ latinitati de improviſo, vel viva voce, vel ſcripto reſtituant, omni amoto ſive autoris, ſive ſcripti cujuſvis aſpectu. Nunquam verò diſcentium rationibus & profeſſoris valetudini conſultiùs providebitur, quàm ſi *auribus utatur magiſter; linguam diſcipulus exerceat.*

Ne erratorum perveſtigatio ultra

modum excurrat, magiſtri prudentis erit in hujus & illius penſum domi ſedentem inquirere; ſi quid gravius admiſſum eſſe videbitur, illud calamo tranſverſo notare & reſtituere delinquentibus, ut & humaniſſimo genere probri erubeſcant, & ineluctabilis oculi vigilantiâ contineantur.

Semi hora poſtrema.

Horæ poſtremæ poſtremam ſemiſſem ſervabimus partim repetendæ tam gallico idiomate quàm latino, rerum naturalium nomenclationi; partim audiendis hiſtoriarum libris gallicè & eleganter ſcriptis.

Viderit nunc ſtudii Rector utrum velit quod penes eum eſſe jam liquidò conſtat, in informanda diſcipulorum ſive ratione ſive linguâ, ſolertiam celeritatemque naturæ imitari; an mavelit eos obrui triſtibus præceptis, triſtioribus exemplis, nunquam quidquam niſi longo circuitu & multiplici machinâ enunciantes, omnium interim rerum penitùs ignaros, & more Laponum rudes. Ab ejus nunc arbitrio fortuna ſtudiorum pendet omnis. Eos nimirùm perpetuo Romanæ urbanitatis uſu erudiat & ornet. Ab elocutione puriſſimâ, probè intellectâ, crebrò revocatâ, nunquam ſeparet hiſtoriam ſocie-

tati & naturæ : hi gradus ad ſapiendum : hæc incitamenta ſapiendi. Nullius enim illic novi vocabuli ſenſum planum fecerit magiſter quin & rem doceat. Voces latinas majore in dies numero, non neglectis in interrogando neque nominum generibus, neque temporibus verborum, memoriæ omnium mandabit, & glutine hiſtoriæ naturalis aut civilis infiget.

Sic neque minorem idiomatis patrii geret ea ætate curam ; quod idioma, quanquam latino concedat in multis, cum ſit noſtræ tamen ſocietatis vinculum, nobis omnibus, omni tempore, latino non minùs debet eſſe cordi : & reipsâ, ſi inverſionem rerum, quam diximus, exceperis ; nullo pulchritudinis genere, nullâ imitationis opportunitate deſtituitur.

Nondum literis græcis locus.

Eant pariter iis annis linguæ duæ, latina ſcilicet & Gallica. Quanquam verò nihil non capere poſſit memoria puerorum, nollem græca prioribus interſeri ; non tam ne gravetur numero imbecilla ætas, quam ne lingua prior, vixdum benè deguſtata, debilitetur alterius ſenſu, neve opus nunc neceſſarium ſecundarii viciniâ deteratur.

Sunt & alia non exigui pretii adju-

menta, quæ priusquam veniamus ad superiorum scholarum studia, suppeditari inferioribus, ordo rerum postulat.

Quoniam ex illo duplici genere vertendi nunc latina in nostrum sermonem, nunc eadem nostra in latinum, pendet naturæ imitatio & efficax optimæ litteraturæ rudimentum, jubet æquitas, prudentia postulat in eodem genere scribendi constitui & spem præmiorum, & honorariæ sedis expectationem, & anni totius decus. Meminerit velim Christianus magister in eo esse artificium docendi, & naturæ docentis imitamentum, si ut in linguis vulgaribus, habeant initia & primæ designationes rerum nullam speciem difficultatis; si celeritate repetendi & scribendi modica, sed optima, generetur legitimus linguæ usus, & aliqua tamen operandi novitas afferat identidem, cum opinione difficultatis, causas quoque laboris & honorum, non tamen ansas ad peccandum.

Eo consilio singulis hebdomadis, diei Veneris pomeridiano tempore, gallicè dictabitur & ingenuæ latinitati reddenda proponetur selecta pars eorum quæ vel proximis diebus, vel elapsis jamdudum mensibus prælecta sunt,

Nisi maluerit, illis potissimum diebus, magister imitari ejusdem tantum sermonis ordinem, mutatâ materie. Ubi nunquam ambiguæ latinitatis exemplar vel multotiès ille, vel saltem semel prælegerit; sic obtinebit facilè, ut scribentium nullus captet inania vel barbara pro veris, sed optimi sermonis exemplar in suâ memoriâ superstes velint omnes habere & unicè intueri.

Versio gallicorum in latina præmonstrata & vera, non potest esse nimis frequens.

Longè igitur absumus ab eo ut gallici sermonis in latinum conversio supprimenda videatur. Id nobis propositum potiùs est eam fieri quàm anteà longè frequentiorem. Mora nulla volentibus obstabit, in ipso jam publico ludo ante & post meridiem vivâ voce administrabitur ea versio modò ab his modò ab illis; tum scripto poterit interdum exigi ab omnibus præfinito spatio scribendi.

Satiùs interdum videbitur istud operis ablegari domum, solâque prælectæ semel latinitatis memoriâ regi, semper sine sermonis illiciti mixturâ; sine falsissimâ ope nomenclatoris; sine damno temporis.

Futura intereà est ea versio in scholis superioribus & frequentior & audacior. Erit qui queratur in illo genere docendi,

docendi, constantissimoque habitu audiendi & scribendi omninò nulla nisi bona & sana, non produci in lucem solæcismos & barbarismos, neque hîc fieri quemquam alterius emendatione meliorem.

Vetus hic error & magistris non minùs quàm discipulis damnosa consuetudo non modicum tempus & aures præbere sermonibus pravis, ac vitia singulorum facere publicâ reprehensione, ut sint omnium communia. Resonant rarò scholarum parietes, iis quæ dicenda sint: quæ autem tacenda sunt, iis perpetuò circumtonant. Verùm ea ipsa culparum reprehensio, quæ magistros enecat, eò erit nocentior discipulis quò fuerit magis assidua magisque diuturna: vitiabit enim linguam, judiciique rectitudinem minuet auris longo habitu vitiorum corrupta: nec unquam vel serò idiomatis cujusquam percipiet saporem & proprietatem, qui pugnantia cum illo idiomate diu audiverit, fueritque totus in iis, non quibus insuescendum sed quibus abstinendum. Præstatur ut jam non noceant omnibus vitia singulorum.

At enim enunciantur ut vitari possint, ut ab iis refugiatur ipso opprobrii metu.

Nunquam soni turpes auribus instre-

punt, niſi cum aliquâ aurium læſione: quæ ſi longis annis, ſi præſertim teneris malè afficiuntur, vîn tu illas tot accipiendis vulneribus effici ſaniores? erit, fateor, diſcipuli lingua diffidentior in dies, periculorum aſpectu, non conſuetudine boni confirmabitur. Qui non ipſo ſinceræ latinitatis exercentur uſu, ſed æternis regulis ac terroribus afflictantur, eò compelli ſolent, ut obmuteſcant, non alliciuntur ut ſint diſerti. Nec plus in teneris proſunt ad munditiem latinitatis locutiones illegitimæ, quàm ad muſicum informandum diuturnus uſus diſcordantium ſonorum, licet quæſitus ex arte, licet conſtanter monſtratus ad riſum.

Fruſtrà mones, fruſtrà inclamas falſa, odio digna eſſe quæ audiuntur. Eſt in audientis intelligentiâ moniti veritas: aurem ſoni malignitas infecit. Non regitur autem lingua rationis imperio, ſed auris affectu & habitu. Quem voles eſſe nec ruſticè loquentem, nec ſonantem provincialiter, num tu eum, quæſo, curabis vel ruſticis frequenter intereſſe, ut eos derideat; vel ſuis provincialibus continuò immiſceri, ne eos imitetur? Audiat ille Pariſina. Merè verſalienſia eloquatur. Reliquis obſureſcat.

Si volumus igitur experientiæ præceptis & naturæ morigerari, decenter non minùs quàm commodè cavebimus in ſcholis, ut ſi quis quid illic peccat in ſcribendo, peccet clam, peccet ſuo damno, non cum alienæ auris injuriâ. Suadet apertiſſima jam ratio & conſtitutio ipſa organorum tantò minùs eſſe in linguarum auditorio publico emolumenti, quantò plùs illic erit reprehenſionum & clamorum. Sit, inquam, conſuetudo boni perpetua, mali omninò nulla.

Ut quinque horas abſumit ſcholarum publicus labor; domeſticus, ut proſit, quinque pariter ſibi ſervari poſtulat. **Opus domeſticum.**

Scribenda domi præ cæteris inſtat quæ ex memoriâ recitetur hiſtoriola. Inſtat ſubjungenda ſcriptoris latini gallica interpretatio, aut gallici ſermonis in prælectam ſemel latinitatem converſio, fortaſſè & quæſtiuncularum reſponſionumque retractanda & ſcripto proferenda enarratio. Quæ omnia cùm fuerint apud magiſtrum audita & enucleata diligenter, hinc efficietur, id quod viri prudentiſſimi ſuadent & votis huc uſque inutilibus expectârunt, ut *privato ſuo opere majorem ſe ſentiat* puer; ei præ-

ſit; non oneris præponderatione ſuccumbat.

Ut ergo & proſit ea libertas, & ſi qua eſt, maximè ſub noctem, reſidui temporis pars; ea lucro apponatur; habes exercendi paulò aliter animi duo genera, quæ ſpeciem tamen exhibeant relaxandi. Petes alterum ſcilicet ex Heroicæ fabulæ ſtudio; alterum ex Geographiæ. Ut ſit autem & ſine periculo illud, & hoc ſine faſtidio, erit opus aliquâ tantùm docentis prudentiâ.

Fabulæ Heroicæ ſtudium. Deorum, Dearumque, & Heroum claſſes, attributiones, miniſteria, res geſtas, quæ denique legi voles, ex ordine aſſigna, non ſine tot nugarum irriſione feſtivâ, *ne gravitate adorentur.* Utque in certam diem memoriter, & hiſtoriæ loco, proferri fabulæ ab omnibus poſſint, vel per modum concertationis in plures interrogatiunculas dividi; vel denique more tabularum deſcribi non nominatis perſonis & proponi ad interpretandum; legentur hæc & illa ex notiſſimo Dictionariolo (*a*) & alphabetici ordinis deſignatione quærentibus occurrent.

Voluptatem jam aliquam legendi lon-

(*a*) Chez Deſaint & Saillant.

gè aliter augebit veterum poematum edita gallicè versio. Homeri Iliade, Odissea præsertim, (*a*) Virgilii Æneide, (*b*) & Fenelonis Thelemacho (*c*) mirum quàm capiatur puerorum ætas. Ipsæ episodiorum cum actione primariâ ingeniosæ commissuræ nexum rebus addunt, & memoriæ tenacitatem.

Cave verò existimes nos temporis multum teri velle meris fabulis, aut inanibus deliciis ætatem dissolvi. Ejus utilitatibus illic prudenter & apposite consulitur. Fit aditus ei ad autores, ad tabellas, ad antiquitatis monumenta patentior. Eam commenta gratissima non sollicitant modò ad legendum, sed magis ac magis ad omnis decentiæ & morum contemplationem convertunt.

Non capiuntur adolescentuli, sed potiùs affligantur legendis iis quæ Cicero de amicitiâ, de officiis, de finibus bonorum est philosophicè commentatus. Ad suum ea tempus servabuntur. At interim Achillis funesta toti Græciæ arrogantia; & Ulyssis calliditas rem domesticam restituentis; & pietas Æneæ reliquias Trojanorum perducentis in aliam

(*a*) Daceriâ interprete.
(*b*) Chez De saint & Saillant.
(*c*) Chez la veuve Estienne & fils.

ſedem, & Thelemachi indoles flexilis in utramque partem, rapiunt animos novitate eventuum ſtupentes, offeruntque inſciis omnium rerum materiem loquendi ſatis uberem, & gallicè ſcribendi non mediocrem facultatem.

Summo complurium adoleſcentulorum ac puellarum emolumento tentari nunc ſolet, & facilè obtinetur, ut quæ vel ex illâ veterum poematum verſione vel ex hiſtoriâ gallicè ſcripta legerint, ea ipſi ſcripto redintegrent vel in brevem analyſim contrahant.

Præter amœnitatem materiæ ſunt & alia non minoris pretii quæ raro aliàs, hîc facilè conſequimur. Puriſſimus illic ſermo: natura ubique locorum ſimplex: eloquentia caſta & ſine fuco. Inſinuat quoque incogitantibus ea lectio ſocialium vinclorum ſenſum, magnam officiorum commendationem, non ſine conveniente rebus affectu. Ubi autem legentis movetur animus, ibi ſapor & voluptas.

In hac verò fabularum ſelectione & propemodum neceſſario uſu, Ovidium longè fuge, nec morum magiſtrum ſatis ullâ unquam curâ caſtigatum, nec ſtyli ſatis utile exemplar. Nugandi nullus finis: paſſim deliria: ingenii multa

ostentatio, & tralucens admiratio sui. Præstabit semper discipulum tuum aliqua nescire, quàm profecisse tali magistro utentem. Nisi quis, quæ ex Ovidio non incommodè, propter ingenii ubertatem, excerpi possunt, religiosè compegerit, reliqua penitùs excluserit.

Succedet fabulis heroicis Geographica res, in superiores ordines nunquam differenda, ne pariter illic ad ætatem virilem, laboris ejusmodi non valdè patientem, relegetur. **Geographiæ rudimentum.**

Neque te terreat quòd in magno discipulorum numero paucis tantum continget posse necessarias in eam rem tabulas comparare pretio, vel ex arte fabricari. Neque pecuniis opus, & fabrica ludus esto.

Si quis erit in turbâ, qui jam aliquâ laude dexteritatis inter alios, ut fieri solet, innotuerit, Geographum nactus es, præsidemque operis totius: eum tu hortaberis ut Geographicæ tabulæ, quam voles, ductus præcipuos, regionum videlicet oras extimas, curvaturas fluviorum, montiumque flexus, utcumque imitetur, figuris urbium litterisque pro tempore omissis. Si habeant loca non omninò nullam verorum similitudinem, pro veris agnosce. Habeat ille aliquam

jam sibi fidem. Consecutus usum imitandi qualemcumque, aliud obtinebis, nempe uti novitius tuus pictor ingentem tabulam contrahat in arctius volumen, & arctam vicissim patentiore campo explicet, illæsâ partium proportione: quod qui pari in utrâque figurâ quadratorum numero tentabit, intra duos dies acquiret. Pone tamen eò non perveniri facilè puerili manu: tum verò alienâ utere, nisi possis ipse tuâ.

Tibi describantur campo non amplæ, & primariis tantùm lineis expressæ tabellæ, quales sunt terræ continentes, ambitus maris Mediterranei, aut Baltici; Palestina, Italia, Græcia, Persis, Arabia, Ægyptus, & aliæ ejusmodi separatæ regiones, ex Ortelio, Christophoro Cellario, ac præsertim ex Guillelmo Delisle repetendæ, sine rerum nominibus omnes.

Easdem deinde singulas gemina, pro numero historiarum quæ sunt in unâquâque regione insignes. Erit complurium campus idem: non aliud mare, non diversæ oræ, non diversæ dimensiones. Verùm demonstrabitur gracili punctorum filo, in hâc tabellâ iter Abrahami, aut Israeliticæ gentis migratio, Salomonis & Josaphati navigatio-

nes in alterâ; in hâc Annibalis aut Scipionis iter, aut Agatoclis; in illâ vel Ulyssis, vel Æneæ, vel Apostoli gentium, vel Christophori Columbi.

Ubi unam in unoquoque genere habueris; nec longum: centum consimiles aliæ tibi præstò erunt. Adornatæ tabulæ quot voles foliola substerne: pungantur acu lineæ omnes, & continuis foraminulis terebrentur. Subjectis cartis necesse erit easdem inesse aperturas exprimique similes ductus. Ex hâc officinâ discipulus unusquisque sic asportabit habebitque domestici sui operis exemplar. Suppositâ deinde huic perforato exemplari candidâ cartâ, si expressum è contuso carbone pulvisculum superimmittit, novâ & iterandâ quoties voluerit rerum imagine potietur, minimèque dubiis lineamentis, quæ deinde liquoris colorati fluxu protrahat, discriminet, & illustret. Nec in eâdem tabellâ urbium simul nomina omnia coacervabit, partietur potius, & alia aliis eventibus rerum, pro magistri monitu, attribuet.

Duplicatis ad libitum, uti necesse videbitur, tabellis, in alterâ earum nomina cum signis locorum conspicientur; in alterâ verò nuda tantùm signa illus-

trium locorum, ſine nominibus; ut appoſito vel fluviis vel urbibus digito, ſequantur & appellationes. Sequentur autem illæ, neque is qui reſpondet interroganti, minimâ titubatione impedietur, ſi auditâ loci appellatione, ſæpe revocata memoria eſt aut hiſtorici eventûs, aut naturalis ornamenti.

Eo quoque conſilio loca obſcuriora nunc omittentur, ut ſplendeat univerſum deſcriptionis opus aliquo nitore, ut emineant, inquam, quæ ſunt inſignia; nunquam in turbâ deliteſcant.

Dilucidandæ olim hiſtoriæ, nunc autem juvandæ memoriæ plurimùm conducet vetera locorum nomina non ſejungi ab hodiernis, Byſantioque nuncupato ſtatim adjici Conſtantinopolim, & Carthagine adjacens Tunetum, & Cretâ Candiam, & Lacedæmone Miſitram.

Eſt & alia promptiſſima ratio nigreſcentes exemplaris lineas proſequendi, vel in pellucidâ papyro, vel in communi & ad feneſtram cum exemplari ſuo appoſitâ. Sed hanc & quotquot ſunt artes ſive delineandi tabulam, ſive conciliandi celebritatem locis, omittemus ex induſtriâ, & magiſtrorum dexteritati permittemus. Erit ſatis ſi ſentiant quàm

ſine ullo ſumptu, quàm ſine ullâ prope manuum ſolertiâ poſſit, lineamentis ſolummodò perforatis adjutus puer geographicas picturas imitari, & ſuum ſibi Atlantulum compingere vel unius anni decurſu.

Quæ ſub conſpectum puerorum cadunt; quæ manibus eorum tractantur, eorumque aut regimini parent aut peculio accreſcunt; quæ denique præbent utilem ſeu victoriæ obtinendæ, ſeu muſæolo decorando materiem, in iis libentiſſimè verſantur. Juſſeris, ſupervacaneo poſt exſolutum penſum tempore, regionum adumbrari imagines: juſſeris inſpici ab ipſis ac declarari hujus illiuſve artis machinas, & machinarum uſum: juſſeris vel naturæ vel ſocietatis partes enumerari, propriiſque ſignari appellationibus: oblectamenta hæc: ludos exiſtimant indulgenter & amicè conceſſos. Placet inſpectio rerum: placet juncta rebus latinitas.

Neque illic mediocre incitamentum curioſitatis eſt. Ubi regionum lineamenta ſitumque locorum ſuis ipſe peregrinationibus exploravit puer; non poterit inter legendum & confabulandum injici ulla mentio vel rerum militarium vel mercaturæ, naturaliumque hîc &

illic proventuum, quin ille continuò applicet aures, quasi sua res agatur. Jam nullibi hospes, humani nihil à se alienum putat.

Disciplinæ linguarum gradus alter.

Postquam prævià notione rerum quæ latinè deinde dicendæ sunt sic ex arte permoveris animos, ut cum rebus ingressa latina signa, jam non queant ab impressis rerum speciebus avelli; disciplinæ nunc instabit gradus alter; *signorum nempe operosior cognitio.*

Doctrina proprietatis.

Hactenùs elementa copiamque vocum, quantò potuimus usu, comparavimus. Eam nunc aggredimur Grammaticæ partem quæ vocum complectitur varios usus & situs, varias pro loco significationes & virtutes in quibus est universa linguæ proprietas.

Linguæ Proprietas.

Cùm verò superstitum Philosophorum, Historicorum, Poetarum, Oratorumque scriptis vetus lingua ejusque proprietas contineatur, non debet hujus proprietatis disquisitio & Grammatica plenior ab operibus eorumdem scriptorum separari,

Traité des études.

Magnificè tractavit eas partes Rollinus, & quâ tractari ratione ab aliis pos-

ſent edocuit : neque linguam vel Græcam vel Latinam voluit è Grammaticâ repeti & expectari, ſed Grammaticam & omnem linguæ notitiam ab optimè ſcribentibus; nec poeticen vel oratoriam à vulgaribus contritiſque præceptis, ſed præcepta & artem à Poetis & Oratoribus.

Non aliter ſenſerat Horatius, qui probatiſſima quæque dicendi exemplaria volebat interdiu noctuque verſari. Non aliter Quintilianus, cùm ſcholarum ſui temporis morem reprehenderet, in quibus Oratoriæ præceptiones traderentur, non prælegerentur Oratores. Jubent eximii harum artium doctores Vida Bolæuſque in ſuis poeticis, jubet ratio, jubet experientia rerum, non aliunde aut artium liberalium, aut veterum linguarum potiſſima documenta requiri quàm ex aſſiduâ ſcriptorum lectione, dijudicatione, & imitatione. Ut enim vera locutionum ſignificatio ex cauſis dicendi aſſumitur, ſic omnis pulchritudinis quæ exiſtere & eminere in dicendo poteſt, fons repetendus ab eo quod perſonam, tempus, & locum decet, adjunctâ aliquâ noſtrâ utilitate. Non ſentitur autem neque imitationis virtus, neque quod pulchrum eſt atque

decens; datis frigidè definitionibus; non etiam detractis hinc & illinc emotisque sede suâ exemplis. Plurimùm semper eis deperdi necesse est, ubi non ipso rerum filo deducuntur in conspectum; non loco, non tempore, non causâ, non personæ affectu adjuvantur; non consuetudine populorum, non omni dilucidantur adjunctorum comitatu. *Docent autem scriptores optimi, ut optimi pictores, id ipsum quod præstant:* neque ulli meliùs docent, si modo locutionum vim, styli discrimina, & colores operum curiosa ratio diligensque contemplatio perspexerit.

Sunt sanè in eam rem opportunissimæ celebrium Grammaticorum commentationes & Rhetorum: sed magistris contrectandæ non discipulis. Res immensa linguæ vel unius proprietas! Si gravem illam tot præceptionum sarcinam discipuli vel conspexerint, exterrebit omnes. Grammatica autem nil molesti, nil lugubris habet, si ab optimè scribentibus non divellitur, si per partes traditur, si ejus animadversionem obscuritas loci occurrentis, novitasve commendat. Tum verò minimè ingratum novisse ubi sit Ellipsis, ubi Hellenismus, ubi alia figura. Sic repugnante

nullo, scientia proprietatis continget omnibus cumulatior.

De autorum personâ & operibus dicere, hîc superfluum. Quantus autem qualisve illorum usus esse possit, nullo meliori genere argumentationis declarabimus, quàm si ea fiat autorum per quatuor superiores ordines distributio; ut nullus veterum celebretur stylus, in quo, aliquem dicendi jam priùs nacta usum juventus, interpretandi imitandique industriam non exercuerit.

Superiorum scholarum opus.

Prima semihora.

Exscribetur domi ut priùs ea historiæ pars quam prælegerit professor, & intra semi-horam priorem recitabitur, non tam memoriter & anxiè de verbo ad verbum, quàm cum specie aliquâ colloquii familiaris, ac vocis aptissimo flexu.

De eo penso nihil ut immutetur suadent commoditates multæ, scilicet futurus in omnes illustrium gentium historias per septem annos excursus; labor exercitationis ferè nullus, omnia deligente ac prælegente magistro; patriæ linguæ usus frequens & in dies tamen cautior; ejus usum secutura quoque plurima narrandi libertas: quæ postrema virtus nec suâ laude destituetur, & ad alia audenda stimulos addet acres.

Græcæ linguæ & Poetices initia in quarto ordine.

In quarto ſcholarum ordine ſine ullo jam latini ſermonis incommodo, fient prima litterarum græcarum metricæque orationis tentamina. Uſitatæ igitur ante omnia narratiunculæ prudenter adjicietur, & intra ejuſdem ſemi-horæ prioris terminos recitabitur pars aliqua Grammaticæ græcæ elementaris: cujus ut nomina verbaque poſſint flecti promtiùs & alia ex aliis ritè generari, opem plurimam præſtabunt nitida paradigmata, verſuſque thecnici Meſleriani (*a*) numero & perſpicuitate præceptionum in ſingulari brevitate commendabiles.

Hora ſequens vertendis autoribus tribuenda.

Horam ſequentem quam Romanis autoribus interpretandis plenam optaremus impendi, decurtabit leviter, & conſecrabit ſimul pars aliqua textûs Græci vel Evangeliorum, vel actuum Apoſtolicorum.

Quæ ſcripſit Lucas, civis, ut credibile eſt, Antiochenus, ea plus cæteris à figurâ Hebraïcâ recedunt, & ſunt Græcanicæ munditiæ contermina. Verum affert novi fœderis textus majora his emolumenta. Hic noſtræ ſalutis nuncius. Hic prima promiſſæ benedictionis inter gentes propagatio. Servetur idcir-

(*a*) La Gramm. Gr. de Meſlier Principal du Collége de la ville de Laon.

cò salutaribus paginis ea majestas in omni scholarum ordine, ut ex iis nulla nisi reverenter & capite ab omnibus aperto in sermonem patrium convertantur.

In hoc scholarum quarto ordine qui reliquis medius intercedit, satis commodè prælegi possunt, notulisque Grammaticis illustrari, enarrari deinde tum gallicè tum latinè, selectissimæ & plenæ amœnitatis excerptiones è Cicerone, Valerio Maximo, Paterculo, Gellio, Columellâ, & aliis; vel etiam Curtii, Salustiive nullâ sui parte diminutæ historiæ.

Pomeridiano tempore horam plenam sibi Terentius habebit, & pro certò faciet brevem. Tribus aut quatuor utimur nunc eximii poetæ fabulis utcumque expurgatis. Purgatioribus iis & melioribus uteremur, si actio alia & honesta turpissimis amoribus ab erudito & christiano editore subrogaretur. Præstat in studiosæ juventutis gratiam contaminari hîc & illic vel versum vel scenam, & materiæ aliquam fieri ex arte mutationem, quàm juventutem vel lædi legendo, vel carere cæteroquin elegantissimo genere colloquiorum. Verus enim illic, nec facilè reperiendus aliàs privatorum Romanorum sermo,

qualem agentibus inter se civibus natura suggerebat, & ipsâ suâ ingenuitate ad alliciendam instituendamque ætatem valdè idoneus.

Quàm bellè autem cum litteris res agetur, si contrahi aliquando potest & coaptari ad usum christianæ juventutis Plautus ipse, salibus illepidissimis ita liberatus, ut nihil ejus interim latinitati detrahatur, nihil festivitati. Tum verò & in provectiori ætate legetur cupidè potiùs quàm patienter: neque hîc publicis typis opus. Quæ legi ex utroque omninò non debent, possunt emendari, dictari, dispescique in disjunctas scenas, unde existent festiva totidem colloquia.

Quod si in illâ studiorum media statione, currente anno, quantus est, nulla instituta fuerit vel Terentiani vel Plautini sermonis interpretatio quam non consecuta statim sit ejusdem in suam latinitatem extemporanea reversio; hoc tibi in hâc re futurum prædico, ut alacrior sit in omnibus voluntas, in pluribus emicet fiducia dicendi & amabilis lepor.

Illuc euntibus, viam certiorem munire qui volet, sit ipse discipulorum prope perpetuus auditor, & interpre-

tandi ordinem ſic dividat ut enucleandis rebus grammaticis pars temporis aliqua cedat, enarrationi autem gallicæ & latinitatis reſtitutioni pars longè maxima. Sic tædio non aperietur ullum oſtium : ſic pariet usûs optimi perpetuitas habitum non facilè mutabilem. Conſtantiſſimæ hujus exercitationis ea virtus erit, ut alias benè multas una reparet ac ſuppleat, ipſa nullis aliis poſſit reparari. Cui præſto & in promptu vera latinitas erit, etiam cùm peccet hîc & illic, eum non deficiet aut interpretandi facultas, aut induſtria per ſeſe inveſtigandi ſi quid latet, aut in quo erraverit, cum lepidiſſimo riſu agnoſcendi.

Huc accedit quod quiſquis id ætatis Terentiani ſtyli admirator fuerit, & jam promptus imitator, ſectabitur deinceps quod verum eſt, quod ingenuum; neque is erit quem abducat à vero aut verborum tumor, aut fulgor ſenſiculorum, aut oſtentatio ingenii animos aliò avocantis. Hauſit ille ſenſum pulchritudinis non fictæ, non fucatæ. Sectatur inſcius id quod ſimplex eſt, quod verum; nec aliter acquieſcit.

Habet eam prætereà laudem Phædri ac Terentii ingenuitas, Plautique vis comica, quod qui eo ſtylo, eâ vitæ imi-

tatione capitur puer, quasi de industriâ præparetur ut ei deinceps & Cicero, & Homerus, & Virgilius valdè placeant. In his quidem pro naturâ materiæ hîc majestas, illic affectus, alibi naturæ aut vitæ hominum similitudines, & varietas plurima; in omnibus tamen eadem quæ Terentii, eadem quæ Fontani, quæ Molierii nostri rectitudo, veri in omnibus affectatio, imitationes rerum, scribentis ambitio nusquam.

Hora ultima.

Horam ultimam in quartò ordine obtinebunt scriptiones de more per partes emendandæ, & elementa linguæ græcæ innumeris exemplis, ac frequentibus auditorum concertationibus confirmanda. Si quid supererit aut servatum de industriâ, temporis fuerit, illud audiendo gallico vel poetæ vel historico cedet, in sequentibus ordinibus gallico oratori ut plurimùm.

Variæ exercitationes superioribus ordinibus accommodatæ.

Sunt autem excogitanda alia quibus & in quarto ordine & in superioribus accrescat in dies audacia dicendi, & judicii vis exercendo acuatur.

Qui inceperint inter condiscipulos habere nomen, erit eis honorificum, si jubeantur domi parare ac providere, quæ deinde magistri loco prælegant in scholâ, & priores interpretentur. Non

mediocre ſanè lucrum nec modica magiſtri voluptas interim ſedere prope taciturnum judicem, & habere pro arbitrio qui vicarius ejus muneri ſuccedat. Non dubium eſt quin diſcipulorum ſolertia cùm fuerit omnis in illâ fidelitate interpretandi & latina revocandi conſtituta diùque verſata; jam poſſit partem ſcriptoris latini prælectam ſine interpoſitâ interpretatione, vel gallicè enarrare, vel etiam latinè reddere.

Quod ad ſcriptiones vel extemporaneas vel domeſticas attinet.

1°. Poſſunt gallico idiomate aliqua non paſſim obvia dictari, & latino ſemel tantùm prælegi, quæ vel in ſcholâ vel domi in eandem, ſi fieri poteſt, latinitatem vertantur. Sit autem omnis illa non è magiſtri Minervâ, ſed ex indubio bonæ antiquitatis fonte hauſta latinitas. In eo erit autem prudentia delectûs, ut inſit uni orationi hujus aut illius figuræ ſive tropi exemplum; alteri verò alterius formulæ quam velit magiſter eſſe diſcipulis in promtu, propter ejus aut elegantiam aut frequentiam in uſu communi.

2°. Poſſunt non rarò dictari orationes ejuſmodi, quæ mutatâ omninò materie dent locum imitandi tamen ean-

dem ſtructuram quæ in latino ſcriptore vel recens vel dudum explanata & nota ſit.

3°. Poteſt materia, quæcumque ſatis inclaruit, in varias quæſtiones dividi, quibus domi & ſcripto ita reſpondendum ſit, ut reſponſionem textus ipſe adjuvet, & à textu tamen recedendum ſit in multis. Quæ quo fine fiant, quibus dent commoditatibus locum, vides. Sollicitandi animi, tentandi omnes ut natent ſine cortice, ut audeant ipſi ſe expedire, nec jam indigeant exemplari prælecto & adjutrice manu.

Huc accedit & aliud boni, quòd ubicumque interrogationibus ejuſmodi ſatisfit, votis Quintiliani pariter ſatisfit. Hujus enim arbitratu non ſunt unquam ſejungenda tria hæc, præ reliquis neceſſaria; Lectio, Enarratio, Judicium.

4°. Poteſt illuſtris poetæ pars aliqua in ſermonem uſitatum ita verti ut è membris disjecti poetæ, omninò aliud orationis corpus exurgat; non exangue & horridum, quale eſt Ruæi Virgilium deformantis; at plenum ſucci, in morem Juvencii Horatium metri legibus exſolventis.

5°. Poteſt in penſum diei Dominicæ

ſalubriter præſcribi eorum quæ totâ hebdomade prælecta ſunt, latina diligenſque analyſis, cohærentiumque inter ſe partium fidelis expoſitio. In quâ emendandâ ſcriptione ſi minimè negligentem ſe magiſter præſtiterit; faciet omnes & intentiores in opus diurnum, & in obſervando rerum filo magis perſpicaces.

6°. Poterit interdum eadem prælectarum rerum analyſis inexpectatâ die, & nil tale opinantibus, ad ſcribendum proponi in materiem concertationis, & ſpem præmiorum, vel primæ ſedis, quæ non poterit ſic niſi verè vincenti contingere. Judicii hoc opus omni ſuſpicione liberum. Arriget ars illa omnes; creſcet ipſo periculi metu quotidiana ſedulitas.

Atenim, inquies, metuimus quorſum poſſint evadere concertationes ita inſtitutæ ut non diſcedatur à quotidiano aliquo ſcriptore; illud pro certo haberi debet futurum, ut hiſtoricum vel oratorem quem præ manibus habent, volvant, ac revolvant, nec patiantur ejus ullam ſibi intercidere partem; quam ſi in eâ conſtiterit ſcriptionis palmaris materies, in anteceſſum non fecerint propriam ſui. Nullibi locorum hoſpites

eos repereris. Et sic pro uno victore triginta fures de palmâ contendent.

Atqui non potest ejusmodi furum nimis augeri numerus. Sunt ea furta finisi pse quo tendebas. Veterum scripta noverint, ament, habeant præsto ad manum : hoc erat aut debuit esse in votis. Sint enimverò professores qui latinitatem suam sic in arduo collocent, tot circumsæpire ament offendiculis, ut necesse sit illuc pertingere paucissimos, reliquos ruere præcipites. Ego satiùs esse credo si tendantur insidiæ nemini, si nullus in desperationem advocetur, si magno rerum & bonarum & facilium usu invitentur quàm plurimi ad nova audenda; si falli se magister sinat ex industriâ; si laudet quæ rectè, quanquam facilè, fiunt, ut fiant frequentissimè; si denique & multa legantur ab omnibus, & ipsâ spe prædæ agiles intendant oculos ad omnia, ita ut lineas assecuturi, furaturi, si ita vis, duodecim, trecentas penitùs introspexerint.

7°. Cùm ex abundantiæ suæ penu sinceram latinitatem sine ullo tandem exemplari prælecto depromènt; poterunt frequenter assignari gallica aliqua Plauti, vel Vitruvii, vel Columellæ, aliòrumve quæ latina faciant; aut materies

teries proponi vel epiſtolæ familiaris, vel narrationis, vel colloquii inter perſonas quarum priùs conditionem, voluntatem & affectus rei congruentes noverint probiſſimè ; materies illa ſi fuerit omnis ex fonte accerſita puriſſimo, normam judicandi non dubiam præſcribet : qui propius acceſſerit, penes eum victoria eſto.

Ubicumque ſermonem deprehenderis verè familiarem, facilem, ingenuum, & ad omnes fortunarum habitus accommodatum, magna ibi virtus : Ibi ſpes plurima futuri : non item ubi aſſurgunt, ubi ſectantur grandia.

Si quid hîc & illic reperietur, reperietur autem non infrequenter, quod cum decantatis regulis pugnet, ne propterea inclames, quaſi deplorata ſit eorum latinitas, quaſi de ſtudiis prioribus penitùs actum ſit. Nugis offenderis ; vera commoda non reſpicis. Minùs grammaticè dicant ; dummodò facilè & latinè. Reliqua emendantur ipſo uſu & aſſiduitate ſcribendi.

Qui ſcriptiones quotidianas ejuſmodi mendis non facilè liberabunt, fructum tamen ſui laboris non mediocrem conſequentur, ſi, diuturnâ ſaltem interpretandi & enarrandi con-

ſuetudine, veterum ſcripta non repugnanter adeunt, & commodè decurrunt: non eſt grande adeo vel flagitium vel periculum grammaticas hîc & illic violari leges. Nunquam erit illis dicendum vel in Senatu Romano vel ad populum pro Roſtris.

Non erit recuſandum prætereà quin aliquibus eorum qui audiunt, ejuſmodi ſcriptiones malè omninò vertant, Huic autem malo, qui pervulgatâ docendi ratione utetur, non ibit certiùs obviam. Continget huic & illi non poſſe percipi normam ædificandi verſus: continget alteri, monſtroſa aut inania captari pro poeticis aut oratoriis. Nollem ego eorum infortunium onerari triſtiſſimâ neceſſitate in dies ridicula faciendi: frequens occaſio, frequens peccati reditus. Sic aggerantur vitia vitiis: quod quid eſt aliud quàm eò adoleſcentiam perducere ut laborioſè deſipiat. Quæ certum igitur eſt eos non facere niſi magno ſuo detrimento, ab his abſtineri tutius foret. Sit aliquibus liberum non omnia poſſe: nec tu illorum causâ minueris quæ facis. Interim ſit huic & illi pro tuâ prudentiâ licitum ultra Gallicam veterum verſionem non evagari. Sit licitum,

non sine aliquâ laudum spe, in sermone patrio se exercere potissimùm. Epistolam sæpè scribant de rebus maximè obviis. Si, quod ii Gallicè scripserunt, utcumque non displicuerit, lauda. In nullis eorum patere ipsâ ignominiâ & exprobratione insitæ tarditatis extingui omnes ad aliquam saltem virtutem igniculos. Grande lucrum, si in patrio saltem sermone, & in rebus ad vitam communem pertinentibus non modò non obtusi & elingues fuerint ipso dedecorum metu, sed potiùs efficiantur dexteritate & patientiâ tuâ cordati & probabiles. Præstat quosdam peritos esse patrii saltem sermonis, quàm Latinè Gallicèque mutos.

8°. Est & aliud exercitationis genus præ cæteris utile, nulli clausum, cujus in reliquis studiis fructum unusquisque tantùm experietur, quantùm erit in eo ad proficiendum voluntatis.

Quidquid exsoluto domestico penso residuum temporis erit, per tempus illud exerceat se ingeniosus adolescens ad scribenda Latinè vel eloquenda, non quæ, memoriâ recenti, nimis præsentia sunt, sed quæ dies ipsa delevisse videatur.

Valgelasianæ interpretationis Quinti

Curtii vel Dacerianæ verſionis Terentii partem ex ordine legat, & aut calamo aut vivâ voce partem eandem Latinè, ſecum ſolus, enunciet; & ſua deinde cum veteribus conferat. Sibi ſæpiſſimè præſtent condiſcipuli duo eamdem alternis operam prælegendi Gallica, dein Latina revocandi. Adeſt communis Magiſter ſcriptor ipſe, quo utantur & exemplari optimo & judice non ambiguo.

Styli Unitas. Quiſquis autem vel adoleſcens vel vir factus, puræ latinitatis uſu, aliquam jam dicendi celeritatem conſecutus erit, vix fortaſſe ſibi temperabit, ita ſumus ad imitandum proclives, quin e ſcriptoribus Latinis unum, eumque ex omnibus fortaſſe non optimum Tacitum puta vel Florum, præ cæteris æmuletur, in quem vel naturâ vel præconceptâ & ſuggeſtâ opinione propenderit.

Huic malo ibit ipſe obviam, ſi ſtyli Terentiani ante omnia diligens fuerit imitator, aut Ciceroniani. Terentiano melior nullus, ubicumque aliquis e vulgo loquens inducitur; nec Ciceroniano, ubi quis ſuſtinet oratoris partes aut philoſophi diſputantis. Terentium inter & Ciceronem medium lo-

cùm Columella tenet. Utitur enim sermone neque oratoriè incitato, neque verniliter familiari; sed eo qui virum urbanum decet non inornatè agentem de rebus maximè obviis. Universam scilicet agricolationem quam in amplâ fortunâ scriptor egregius exercuerat, id, postulante viro consulari Sylvino exponit cum plurimâ dignitate & sine apparatu tamen.

Hîc igitur tibi autor ero, uti spero, non absurdus, ut eximii alicujus exemplaris colore stylum tuum à principio inficias, ne in posterum possit aliorum labe commaculari; sed in tantâ legendi varietate unus videatur esse, semperque similis sui. Sic licebit immorari impunè ubicumque te figere pedem jubebit necessitas.

Exemplaris delectus, huic rei caput. Scriptorum enim sermo, vel eorum qui plurimâ laude præstant, non omni semper vacat aspersione vitiorum. Ita Sallustium queruntur & Varronem nimios esse Archaïsmi affectatores; Ammianum & Apuleium turgere; Senecas ab genere sententioso non posse avelli; Livium à sermonis Patavini asperitate sibi non cavisse; alios aliis vitiis urgeri.

Nemini ſanè non laudi erit fuiſſe in Varrone, Salluſtio, & præ aliis in Livio aſſiduum. Magnus ille maſculæ & rebus conſentaneæ latinitatis autor; magnus omninò narrandi pingendique artifex; neque frigidus morum politicæque rei doctor. Leve ſanè eſt, ſi quid peccat, & idipſum tamen neſcire te nollem. Quidquid autem videri hîc aut illic poteſt in Liviano ſermone vel neglectum vel provincialiter diſſonum, illud majeſtas exquiſitæ imaginis patitur ac tegit. At ſi quis & in tenuibus argumentis quæ tanquam minutiſſimæ tabellæ propius inſpiciuntur, affectet Liviani penicilli incuriam, negligat veneres & artem Ciceroniani, ridebitur vitiorum parum cautus imitator, qui gravitatem inſuper oſtentet & nervos alieno tempore nec juſto loco.

Ut igitur inter varia tot ſcriptorum tot ſæculorum vitia ſtare poſſis incolumi tuâ latinitate & ſalvo ſtylo, Ciceronem præ omnibus ante oculos propone. Nullo unquam tuo periculo, ſed plurimo potiùs tui tum ſermonis tum judicii proceſſu & incremento Ciceronem imitaberis; at non adorabis tamen: quaſi quæcumque ſint ex fundo non Ciceroniano, iis tibi abſtinendum

putes. Licuit semperque licebit Ciceronis admiratorem detrahere hinc, inde, & in usum suum convertere sive vocabula sive formulas, quibus Tullium, cum res bene multas aut attigerit leviter, aut reliquerit intactas, carere omnino necesse est: eaque sic sua efficiet ut similitudine collocandi à Ciceronianis non differant.

Absolutissimo genere dicendi non leviter imbutus, & quasi inter manus urbanissimæ matris educatus puer omnes alienæ locutionis injurias facilè arcebit, nec in suum stylum quidquam, quod aut pingue, aut peregrinum videatur admittet.

Ubi purissimæ latinitatis assiduâ repetitione, ut fieri in vulgaribus linguis solet, conciliata fuerit aliqua jam imitandi audacia & prosperitas, emicabunt in multis animi indicia aut in illum stylum aut in alterum propendentis. Tum vero prudentis erit magistri unumquemque tentare quid possit, quam sui expectationem faciat explorare, atque addicere præsertim ei scriptori ac stylo in quem viderit eum naturali proclivitate propelli. Vulgaria tantum opera exercebit vulgaribus equis permistus equus, qui, si eum, quid

Explorandi Animi, & in id quod possunt, propellendi.

poſſet, agnoviſſes tentando; ſi eum ſuæ indoli permiſiſſes, nunc ſub viro principe ſplendidus exultaret.

Erunt non pauci qui videantur ingenio ad fundendos verſus alacri nec abſurdo. Ne plus nimio tamen fide primulis ingenii poetici ſcintillis, quas novimus quàm ſint in aliquibus fallaces, in bene multis noxiæ.

Abeunt horæ, abeunt anni legendis, conferendis, laudandis trium quatuorve competitorum verſiculis. Crederes agi de ingeniorum fortunâ. Crederes raræ indolis animas ad grandia quæque his artibus evehi. Qui verò laxiſſimis habenis in ejuſmodi quotidiana certamina compelluntur, ſolent poetica unicè deperire, obſurdeſcere cæteris, eſſe ad meliora ſæpe inutiles, atque utinam non & riſu digni! exercitationes ejuſmodi, ſi proſunt, paucis proſunt. Et cum ipſi non ſint in re valdè opimâ, longiſſimo interim jejunio reliqua multitudo macreſcit.

Vitabit igitur ſcholæ ſuperioris profeſſor, ſi ſapiet, eſſe ante tempus, & cum tempus erit, nimius poeticæ ſcriptionis adhortator. Difficilibus nugis abſumi ſolitum tempus autorum potius interpretationi cedat: in omnes redundabit ea utilitas.

Cum verò elementorum linguæ Græcæ provisa fuerit in quarto ordine scientia non mediocris, & concertationibus ultimæ semi-horæ parta satis magna Græcarum vocum copia, non tam originibus & familiis radicum quàm classibus & adminiculis rerum naturalium, tum fine anni appetente incipiet esse prosodiæ sine periculo locus, & structuræ versuum: multi priùs nolunt, ne metri novitas & parabile primo aspectu artificium, loquelæ usitatioris obtundat saporem, vel ejus tædium, quod pejus est, ingeneret. **Prosodiæ initia.**

Prosodiæ poeticorumque canonum auxiliis non plurimùm indiget sermo Plautinus ac Terentianus, satis liberè fluens, nec sermonis quotidiani multùm dissimilis; indigebunt illustrium Græcorum Latinorumque poemata, quæ per tres annos pomeridiani temporis horam plenam vice alternâ postulant, ut solutæ orationis scriptores plenissimam sortiantur temporis antemeridiani. Quantum incommodi secum affert numerosæ juventuti poetica illa scriptio si præcipitur omnibus habito nullo ingeniorum discrimine; tantum afferet omnibus adjumenti poetarum lectio & pulchritudinis poeticæ sen-

ſus poſtea quam ſcilicet adepti fuerint guſtum liberæ orationis & non mediocrem uſum. Solis enim poetis datum eſt hiſtorici, oratoris, pictoriſque ſimul exercere virtutes : ſolis datum materiem ſuam libertate ordinis & fingendi audaciâ locupletare.

Sic ſcholarum ordo tertius habeat aut Salluſtium & Catilinarias Orationes, aut primam Livii Decadem, adjuncto vel Xenophonte, vel Herodoto; pomeridianis horis Æneidem & Odyſſeam. Secundus ordo alias Livii Decades cum Herodiano & Xenophonte; tum Georgica cum Iliade. Ab Georgicis non videtur ſejungi poſſe domeſtica lectio Columellæ. In Rhetoricâ matutinæ horæ cedent partim Demoſtheni aut Plutarcho, partim Ciceroni aut Quintiliano : pomeridianæ alternis Euripidi & Horatio, Ariſtophani & Senecæ tragico : proderunt enim ſuo tempore vel vitioſi ſtyli aliqua exemplaria. Delectum & modum induſtria diſcipulorum magiſtrique prudentia præſcribet.

Exercendæ memoriæ ratio.

Debet excoli interim ſpeciali aliquâ ratione memoria, quæ optimarum rerum poterit eſſe promptuarium, ſi illic ſive dicta ſive facta, & optimo de-

lectu, & magno numero, & justo simul ordine coacervantur.

Intermissâ nuspiam prælectas historias Gallicè enarrandi consuetudine, quidquid erit in oratoribus & poetis aut sensu humanitatis eximium, aut opportunum societati adjuvandæ, aut non vulgari naturæ imagine speciosum, mandari memoriæ poterit cum adjuncta quotidiana narratione. Quo in genere video eam esse prudentissimorum virorum sententiam & hortationem, ut nec multùm domestici temporis in hoc negotium decidatur, nec oneribus injustis euntium retardetur alacritas. Nolunt propterea recitari scriptores ullos ex integro, sed per partes & cum delectu: uno tamen excepto Virgilio, cujus in Æneide & Georgicis nullus prope versus non aureus, nulla imago rerum non vera, nullæ voces aut locutiones non bonæ latinitatis, non boni exempli. A Virgilianis Eclogis ex ordine legendis abstineri in publico studio posset, propter non mediocrem obscuritatem in aliquibus, & minimè necessariam in aliis claritatem.

Sunt in Anacreonte dignissima lectu, & singulariter elegantes hymni:

ſunt in Ovidio, Catullo & aliis, benè multa quæ juvaret proferri in commune, propter ingenii diverſitatem aut concinnitatem dicendi. Eam verò ſuavitatem tanta pericula circumſtant, ut neceſſe ſit juventuti Chriſtianæ cum perditiſſimis hominibus nihil eſſe rei; aut dictari tantummodo excerptiones idoneas quæ alacriter ac pede tamen tuto decurrentur.

Uſus, Continuatio, & Aſſiduitas.

Neceſſarium adeo linguæ purioris uſum non ſatis eſt plurimum ab initio comparari, niſi & ſequentium annorum continuatione uſus ille perſeveret. Pergentibus igitur e Rhetoricâ in philoſophicum curriculum; mos apprimè utilis ut, quanquam eos eſſe in philoſophicis totos oporteat, nullam tamen diem patiantur abire vel Plutarchi vel Tullii lectione immunem. Eſt in Plutarcho quidem ſtylus minùs fluens & nonnihil intortus: res tamen exquiſitæ, optimumque philoſophandi genus, in vitis præſertim parallelis. Huc accedit quòd quem ſuo ſtylo Plutarchus non abſterruit; is altero non terrebitur. Sunt in Cicerone philoſophica multa, & ſtylus quo deceat philoſophica tractari. Poſſunt Philoſophiæ candidati hujus tenuiſſimi diverticuli in-

dulgentiâ relaxare animum. Ex quo id quoque consequentur ut ne sinant interim veterum linguarum comparata tanto labore in reliquam vitam instrumenta desuetudine hebescere, & ærugine interfici.

Sunt eâ ætate non pauci quos capiant unicè poetarum numeri; quia magis mechanicè sonantes, ut notum, magis ex arte dimensi. Si quid igitur fuerit otii, si qua libertas; frequentes illicò ad Virgilium, frequentiores ad Horatium reditus.

Poeta, legentis ornet animum, non stylum corrumpat.

Voluptatis genus profectò honestissimæ, si quis eam ratione moderetur, neque crepet poetas & poetica, ubi non est poeticis locus. Ut enim sobrii est modico vino uti; at vinum omni tempore omni loco redolere, ebriosi; sic sapientis quidem est Virgiliano stylo vel Horatiano delectari; non tamen quæcumque scripserit, eo stylo infercire. Profert ille ingenii indicium non satis recti, vel sentientis inopiam suam, vel eruditionis famam insulsè captantis, qui detrahit hinc inde, usitatoque sermoni assuit poetarum lacinias in suo loco splendidas, abnormes & ridiculas in alieno. Opus igitur stylo imprimis qui sit unus & tuus. Utetur

sermonis habitu semper mundo, semper suo, cui fuerit ante omnia in deliciis vel Ciceroniana rotunditas, vel Terentianus lepor.

In hâc prælectionum scriptionumque distributione prævivit hactenus & præire pergit usus rationi & præceptorum grammaticorum contemplationi. Ut esset autem usus ille & placens, & bonus, & multus, magna nobis cum rebus inita consuetudo est. Nec minor autorum usura & quasi familiaritas fuit, qui in rebus toti sunt, eòque magis arrident quò frequentiùs afferunt aliquid novi, nec legentes affligunt aut logicorum ambagibus, aut grammaticorum tricis.

Jejuni isti vocum doctores non implent aures nostras, ita sunt avidæ & capaces: ita semper aliquid solidum, aliquid immensum, infinitumque desiderant.

Nec tamen interim nulla fuit cura verborum: sed in dies observatæ & usurpatæ crebrò propriæ voces, propriæque ac pro loco interdum unicæ sermonis formulæ, non tenui numero, non incerto delectu, discipulorum peculio accreverunt. Id jam monuimus, & est in linguarum rudimento diligenter

tenenda lex, quò quis erit plus rerum adeptus intelligendo, hôc quoque plus adepturum esse vocum & formularum, sine quibus nulla res concipi potuit aut memoriâ teneri. At longo isto simul optimorum scriptorum usu, nunquam intermissâ imitationis assiduitate, præcluso præsertim barbariæ & omnis perversitatis aditu, hâc denique prudentiâ magistri in omnem pedetentim proprietatem excurrentis eruditus cum fuerit adolescens, plurima jam dijudicabit ex ipso sapore, has & illas vocum inter se collocationes ac societates eliget aut spernet sciens ac volens; nec jam de potestate significandi ambiget, ita se signa rebus applicant etiam apud incogitantem. Constantissimâ autem oculorum atque aurium, manus quoque & oris exercitatione magis ac magis ad intelligendum judicandumque incitata ratio fit in dies conscia virium suarum.

Erit nunc in Græcis tandem Latinisque litteris optimum factu, quod fit optimo semper eventu in linguis vulgaribus, ut qui eas usu callet, tum denique legat evolvatque grammaticorum laudatissimos ac præsertim di-

Usum discipulus ipse suâ disquisitione confirmat.

ligentissimos quosque operum æstimatores.

Qui enim linguam ignotam fecit usu suam, is fundum paternum videtur auxisse alterius accessione fundi. Si qua igitur ostensa homini fuerit industria, vel ars minimè operosa & idonea tamen novo huic amplificando fundo, cujus ei incipit esse possessio cordi; næ ille ditescendi opportunitatem non neglecturus est, & parabili non carebit instrumento. Injiciet potius manum in optimos quosque vel autorum interpretes vel grammaticæ & antiquariæ rei scriptores, à quibus ille abhorruit anteà, exterritus ipso aspectu tot congestorum simul sine re signorum, eos nunc leget volens.

Audivit prius magistrum diversas concordiæ & rectionis, analogiæ quoque & ellipseos, universæ denique proprietatis partes sejunctim, loco, ac tempore quotidianis interpretationibus immiscentem. Veniet & tempus cum discipulus tot membra disjecta compingere ipse volet in unum corpus: nisi ea in grammaticis operibus Lancelotti, vel in Sanctii Minervâ, vel in Gasparis Scioppii Mercurio bilingui collecta recognoscat.

Supereſt pars tertia grammatices totiuſque litterariæ diſciplinæ nobiliſſima : ſcilicet ars critica eorum quæ in omni genere dicendi ſcribendique, perpetuum judicii noſtri periculum faciunt ; debent enim nec laudari temere, nec ſine causâ explodi. Grammaticæ tertia pars, quæ Critice dicitur.

Artem judicandi, quæ *Artium Logica* dici juſto titulo poſſet, & à Cicerone promiſcuo nomine *Guſtûs* aut *Sapientiæ* inſignitur, ne in infinitum excurrat, intra certos & materiæ noſtræ congruentes terminos continebimus. Sic docere veteres Linguas ut ſtyli & rerum ſimul elaboretur ſapor, hic libelli propoſitus finis.

Criticæ ſeu litterariæ ſapientiæ ortus & prima progreſſio.

IN artibus aliud ingenium (*a*), aliud Sapientia (*b*), aliud Scientia (*c*), mutuis tamen auxiliis in unum ſæpè coincidunt.

Eſt ingenium vis illa intelligendi, quâ quis rem vel faciendam vel factam, acriter apprehendit & rei delineatio- Ingenium quid.

(*a*) Génie.
(*b*) Goût.
(*c*) Savoir.

nem mente præordinatam vel oratione reddit, vel posito aliquo exteriùs opera præstat & exhibet.

Quid Sapientia.

Sapientia in litteris & ubivis nil aliud quàm pulchri sensus & boni rectique amor.

Quid Scientia in artibus.

Scientia denique est regularum quibus regi solent artifices conquisitio diligens, & ad regulas ac legem rationis exacta operum æstimatio.

Innascitur unicuique suum ingenium, sua intelligendi vis, & in hoc aut illud operandi genus ineluctabilis quædam propensio.

Acquiritur autem unicuique sua sapientia. Quanquam sit enim in aliquibus naturaliter insita sentiendi facultas alacrior; otio tamen indormire solet & emarcescere nisi cultu excitetur & efflorescat. In omnibus prætereà magistri dexteritate, operum collatione, assiduitate judicandi, recto denique scientiæ ductu plus vel minus promovetur.

Scientiam pariter quæ nemini nostrûm innascitur, suus unicuique labor affert, auscultandique constantia & observandi quem alii morem secuti sint, aut quem debuerint sequi. Scientia, meræ intellectionis opus, à sapien-

tiâ non rarò sejungitur ; eam tamen extimulat & commodè alit. Est autem sapientiæ vis præcipua in sensu & in illius voluptatis acumine quam pro pulchritudinis gradu diversam & in dies majorem experimur.

Erit qui oblatis Edelinkii Peniique & Sadeleri cœlaturis frigeat, & oculos ne retorqueat quidem. Stupebit alter non minus in Malburæis imaginibus quam in Gerardi Aldrani historiis. Emendabit uterque tantam tamen insulsitatem si delineandi leges attingat ; si artis peritos audiat aut legat ; si quis homini commonstret positis frequenter ob oculos exemplis quid sit hic aut illic laude vituperiove dignum. Ratio ipsa communisque sensus, quibus primariis omnes magistris utimur, earum rerum naturales causas ita dilucidant ut habeat ille certiorem jam, de obviâ vel sculpturâ vel picturâ, judicandi normam. Crescit judicandi fiducia & firmatur ipso habitu conferendi pulcherrima cum pulchris, cum mediocribus, cum pessimis. Judicium sequitur voluptas aliqua sensusque acrior. Sic exortâ scientiâ exoriri sapientia ut plurimum solet. Quantumvis tamen gustum sollicitet acuatque labor & eru-

ditio, ne tu propterea existimes præceptionibus unicè aut libris recti sensum obtineri. Est enim ignotum nemini Reges maximos, qui, ut regendæ reipublicæ operam darent, à scientiarum studiis abstinuerunt; exquisiti tamen judicii laudibus & monumentorum famâ inclaruisse, artificum scilicet colloquiis, & operum collationibus unicè adjutos.

Sunt igitur ad scientiam sapientiamque salubertima tentamina & opportuna præcepta: ut qui prius ad omnem artium pulchritudinem hebescere videbatur, quæ bona sunt gradatim sentiat, amet, dijudicet.

Solius ingenii comparandi nulla est ars, nulla disciplina, recto quidem cultu roboratur ingenium. Nihil tamen magni paritura est ulla vel eruditio, vel sapientia, naturalis industriæ destituta subsidiis. Viri fortes exercitationibus ejusmodi uti solent, quibus posset elidi fragile corpus, potius quam juvari. At cujus erit imbecilla valetudo, nec ludis aberit; nec judicandi laude fraudabitur.

Nimirùm est omnis illa ingeniorum varietas ut corporum, Providentiæ liberrimum munus humanam societatem

vario facultatum genere instruentis. Eadem interim Providentia voluit in excolendo ingenio esse aliquam nostram laudem : voluit unumquemque nostrûm fieri doctum suis periculis, fieri justo rerum delectu & suamet agitatione sapientem.

Earum partium minimè vulgaris, ingenium : maximè sterilis, ubi sola est, scientia. Optabilis ante alias sapientia, quæ scientiis usum, ingenio moderamen & rectitudinem, artibus denique laudem, si quam obtinent, conciliat.

De ingenio ulterius dici superfluum. Ut queat pro captu nostro amplificari, si felix est; aut aliarum virtutum accessione pensari si modicum; solent ubique locorum scholæ aperiri. Scientiarum passim traduntur elementa; sapientiæ non item : quæ si non evolvitur tamen, si non eruditur, præeuntibus vel magistris vel exemplis; neque ipsi nostro ingenio uti laudabiliter, neque cum voluptate frui poterimus alieno.

Sunt artium leges : sunt operum. Existunt inde totidem scientiarum species quibus carere vel uti uniuscujusque prudentiæ permittitur. Carere autem sapiendi principiis nemini liberum

est, nisi qui & ingenii humani solertiam, & animi voluptatem, res à se alienas putet. Est etiam in illis sapientiæ præsertim litterariæ principiis id peropportunum quod nullius ætatis intelligentiam fugiant, ac debeant propterea cum prima eruditione grammaticâque conjungi.

Dux ingenii & judex operum sapientia, cum sit pulchri boniquè definita sensu, cavendum imprimis est ne vana specie recti decipiamur, aut pigmenti fraudibus, occultantis pulchritudinem quæ vera est; & quæ nulla est ostentantis. Statuendum igitur quo indicio, quo quasi impresso humanis operibus caractere, agnosci quod bonum, quod pulchrum, queat ac debeat.

Non tam necesse est inquiri nunc in moralis pulchritudinis naturam, quam artificialis, quæ scilicet homine mortuo conspicitur in ejus operibus superstes. Est autem quid vel re vel imitatione pulchrum. Pulchritudo rerum ejusmodi operibus consistit quibus vitæ hominum exhibetur utile ministerium. Laudamus ea ratione pulchritudinem pontis, navis, horti, palatii. Imitatoria pulchritudo similitudine ali-

Pulchritudo rei aut imitationis.

quâ rei absentis exsurgit. Ea laus est historiæ, eadem est panegyricæ orationis, aut statuæ, aut tabellæ, quibus efficitur ut quæ non usurpamus oculis, imitatione sentiamus.

Ut, quod olim inventum est, iteretur commodè quotiesve nostra jubet utilitas, non tam ingenio illic opus quam scientiâ & sapientiâ; quarum scilicet est, quid rectum sit dignoscere, & apponere lucro, non tamen invenire. At vulgatæ longo usu machinæ sicubi geminantur & aut emendatione vitiorum, aut accessione novæ virtutis, immutantur in melius, istam sibi laudem vindicat ingenium. Soli demum ingenio pulchritudinis ortus & incrementa debentur.

Quod est igitur vel re, vel rei absentis imitatione pulchrum, (uti aliàs declarabimus) illud nulla sui spe, nullo prævio sui specimine nascitur. Hinc fieri videmus in judicandis artificum operibus, ut vix alio quam novitatis nomine celebrentur: at non est pulchritudo tamen novitatis individua comes.

Naturam pulchritudinis deprehendet qui observârit quo eam fonte ingenium deducat & hauriat, quantum autem

illo neglecto fonte fallatur & aberret.

Viris non mediocriter eruditis visum sæpius est ex rebus diversimodè pulchris enasci ac perfici cogitando speciem pulchritudinis amplioris : & reverâ, è partibus pulchris, ubi connectuntur, coalescere totum perfectius, quotidianâ satis experientiâ comprobatur.

Contingit sanè non raro pulchritudinis hic & illic oblato specimine impelli animum ad similia vel audenda, vel potiunda. Hic sapientiæ scholam, & laboris incitamentum dixeris esse, non verò pulchritudinis artificialis originem, multo minus fontem. Potest quidem e partibus sejunctim pulchris existere totum pulcherrimum : at non ipsâ tamen partium pulchritudine consecutum ingenium est ut sciret totum ponere, & ex prudentiâ connexionis emergentem subito pulchritudinem comminisci.

Non insolens e contrario est ex partibus etiam pulchris conflari totum turpissimum, institoris officinam, chaos denique horridum; diversas vero partes, quæ omnino nihil pulchri hactenus ostenderant, ingenii viribus in optimam subitò formam perduci. Non

ab

ab ipsâ igitur præexistente pulchritudine pulchritudo artificialis originem trahit, neque per sese pulchra sunt elementa pulchri.

Sed omnipotente Dei nutu ac providentiâ fuit ea homini servata laus, ut ubi erant bruta, stupida, inornata omnia, illuc immitteret humana mens, cum ordine, dignitatem, & conspiceretur in rerum naturâ opus laudabile quod non esset ab ipsâ Dei manu profectum.

Jacent hic & illic ardesiæ, coloris atri, lapidum moles, arenarum cumuli, & disjecta ligna. Sic posita casu corpora hoc vel illo percipiantur aspectu: fuerint pari, fuerint inæquali gradu mollia vel dura, brevia vel ampla; non plus propterea placent, non plus opis afferunt. Indigentiæ suæ suarumque simul virium conscius animus materiæ unius naturam cum alterius comparat: nullius deformitate absterretur: at intelligendo præsentit jam quid sit inde oriturum novi, si singulis partibus forma, quæ deerat; si omnibus ordo adjungitur. Inito sic secum consilio lapides lapidibus, minores nempe grandibus imponit: omnes contignatione superinjectâ retinet: ar-

desiis contignationem tegit. Emolumentum rei priusquam nasceretur, expectaverat: natum creatumque sibi gratulatur. Effectrice illâ operum solertiâ non minus quam communicatione Dominii, Deum scilicet imitamur, qui condidit ea quæ sunt, & inducta suis locis optima esse vidit.

Præstò sunt pariter ad hominis manum lamellæ ex auro, ex ære, ex chalybe, massæ rudes, sine forma omnes, sine venustate, sine fructu. Accesserit ingenium: conflabuntur metalla in pyxidem horariam, rotarum, denticulorum, elaterii, oscillationum, & acûs indicis conspiratione pulchram atque effectu mirabilem.

En tibi ex destinatâ & aptâ inter sese partium non pulchrarum compositione protinus enata pulchritudo, & harmonia rationis testis, ut præco Divinitatis est orbis universus. En tibi ex compositionis hujus quæsitâ cum tuis utilitatibus convenientiâ, profluxit bonitas, ubi prius nihil utilis aut boni.

Est id igitur pulchrum, ut in naturâ, sic in artibus, cujus sunt justo inter se situ coagmentatæ partes, constantissima virtute omnes, directæ unà in communem finem, neque superiores

à mediis aut ab utrisque ultimæ discrepant. Videbitur meritò turpissimus canis, cujus, cum sit amplum caput & vasta cervix, erunt simul angusti oculi, sanguineæ palpebræ, exile prætereà tergum, gracile femur, & aridum crus. Pari ratione si casæ humili perexiguoque horto frons ampla præmittitur; habes tenuissimæ rei magnifica promissa. Nec tam florentis horti speciem quam agri sylvescentis obtinet qui eodem murorum consepto bonas & magno numero plantas conseverit, non interjectis pro diffusione ramorum spatiis, non assignato pro singularum virtutibus loco.

Qui hortos parant, soli sui descriptionem ab hujusmodi artifice requirunt sæpius, qui sit rei architectonicæ gnarus, hortensis non item. Columnas ille & marmora passim collocat: auro illita vasa & statuas interserit. Sint ea ornamenta quantivis pretii. Non limpidas tamen & uberes aquas, non viriditatem æquiparant, quibus natura nihil habet ornatius. Quæ autem spatiis natura diffundit amplissimis, hæc viridis atque irriguus hortus commodiori ambitu complectitur. Id tibi pollicetur

hortus : nihil auri , nihil marmorum pollicetur.

Neque turpidinem generat ſola rerum diſcrepantia , qualis erit ſi quis aret bove & aſino ; ſed ipſa earum diſtractio in diverſos fines nullo vinculo conjunctos. Fons autem deformitatis uberrimus, ſi quis ea committat quæ ſe mutuo deſtruunt.

Erit in mediâ urbis regione vacuum ædibus & ſervatum in publicos uſus ſpatium. Cedat illud , quantum eſt , aut macello inſtituendo, aut ædificando templo. Rerum vero ſibi invicem adverſantium foret in eodem ſolo minimè commoda ſocietas. Sic nunquam in honore fuit ulla vel pictura vel poeſis quæ plures ſimul actiones complecteretur, nullo probabili filo cohærentes: nec facilè patitur animus , dum feſtinat ad eventum inceptæ rei, dum in eâ totus eſt; alterius impedimento ſeſe retardari. Quid ſi non diſcordant modo, ſed adverſâ fronte ſecum pugnant? breviſſima tamen rerum valdè diſſimilium monſtratio , poterit eſſe diverticuli inſtar, in viâ minimè moleſti. Sic apud Virgilium ſtructores Carthaginis apum ſimiles ſunt, apes autem Cyclopum.

Sive igitur ex elementis non pulchris pulchri aliquid extruas, uti e cæmentis vilibus decentem domum; sive adornes quid ex finitis jam partibus ac reapse pulchris, uti ex optimis plantarum generibus hortum; *concordia totius & unitas*, tuum illud opus: ex te nata pulchritudo, tua est. Fontem illum pulchritudinis artificialis, in se qui non repererit, aliena laudet, sua non obtrudat, cum habeat pulchri nihil quod dicere possit suum.

Idem opus non pulchri tantum sed & boni nomine donabitur, quod cum jam sit aptitudine partium suarum, & solertiâ compositionis egregiè in se concors, cum nostris quoque commodis congruit. Assurgetque sic parta bonitas ad gradum eo altiorem, quo pluribus simul facultatum nostrarum satisfiet. Boni origo, incrementa, varii gradus.

Habent ut manuum sic libertatis opera suam pulchritudinem, suam bonitatem. Neque enim studia nostra nostræque voluntates minus quam nostræ manus aut justâ ratione, aut fortuitâ libidine ducuntur.

Gaudet auriculis Cleanthes ac tulipis. Hortum quem toto Maio celebrem gaudebat esse, claudit abeunte vere

cum ſuis floribus : totos undecim menſes latet illic abditus, ut otio ſuos flores enumeret, eos notis internoſcat, pulvillos diſtribuat, habeat pulvillis conſentientes libros; limum quoque, arenas, argillam, terras omnes exploret, cribro incernat, miſceat hoc vel illo gradu. Conſequitur ille ſuis tantis annuatim ſudoribus ut bis terve intra quindecim dies, volentibus liberum ſit ad pulvinum accedere, ſi eorum voluptati neque imber neque frigus obſtiterit.

Aliis viſum eſt eum eſſe in horto colendo benè & pulchrè curioſum qui utilem florum, leguminum, fructuumque ſucceſſionem toti anno tradiderit.

Ariſto id moris eſt mendicos excipere hoſpitio, & neminem qui vagetur à ſuis foribus excludere. Humanitatis illic genus & pulchrum & bonum.

Non ſic ſuam beneficentiam Philoponus inſtituit, neque unquam committit ut Deſidioſorum hominum vecordiam juvet. Si qua verò fuerit egregiè morata & laboris amans familia, ſed tenuis ac ruinæ proxima, Philoponus eam periculo eripit, omni diſſoluto ære alieno; & auxilii opportu-

nitate id præstat ut nullius ope præterea egens ea domus, industriâ suâ seipsa sustentet. Beneficio priori hoc pulchrius longè & melius, cum diuturnum sit & ipsâ securitate prædicandum.

His etiam altiora tentavit Eudoxus. Angebat virum in suos cives munificum pars oppidi natalis vitio aquarum putealium affecta, & incolarum valetudini parum utilis. Qui essent præ cæteris pauperes aut non sanabili morbo appeterentur, iis excipiendis nosocomium peculiare, non modico sumtu, magno omnium plausu, constituerat.

Re deinde diligentius expensâ, satius esse duxit si salubres aquas urbi induceret, cives importunitate priorum liberaret. Is divitiarum verus usus: ea vera divitis felicitas! Crevit inde viri fama, nec de laudibus operis ulla conticescet ætas: ægris enim opitulari pulchrum: ægritudinis autem sustulisse causam paternum, verè regium, propè divinum.

Hoc major igitur beneficii laus quo ad plures pervenerit, quo pluribus quoque singulorum sensibus satisfactum fuerit. Pulchra & bona dicitur ea domus quæ cùm alliciat hospites &

viæ commoditate, & decentiâ frontis, & justâ distributione partium, & liberrimo lucis agrorumque prospectu; non interim obtundit aures adjacentis macelli clamoribus; non afflictat nares odore cœni & vicinæ paludis halitu. Non potest enim subsistere pulchritudo, nec utilitas cum mali testimonio & periculi sensu. Imminens Damocli gladius felicitatis apparatum subito fœdavit omnem; parum curante homine quæ splendent, si noceant.

Divelli sic potest à pulchritudine bonitas. Quoniam ex illâ tamen partium directione in communem finem, & justa earum inter se harmoniâ, quâ pulchrum quid constituitur, fluere utilitas quoque nostra solet; hinc factum ut pulchri bonique nomina satis promiscuè usurparentur, & quod frugiferum non esset, id ne pulchri quidem nomine honestaretur inter cordatos. Unicâ igitur appellatione pulchri, rem utramque in posterum satis indicabimus.

Imitatoria pulchritudo.

De eâ pulchritudine quæ ingenii perspicuitate & manuum solertiâ non ordinatis anteà rebus conciliatur, hactenus dictum. Nunc habenda ratio est humanæ pariter & artificialis pulchri-

tudinis quæ ingenioſâ rerum abſentium ſimulatione generatur, ſeu quis eas perceperit oculis, ſeu cum aliquâ ſpecie veri tantummodo excogitaverit. Eſt autem hic imitationis fructus ut quæ ſub aliorum conſpectum venire non poſſunt, quæ in noſtra tantum cogitatione forte verſantur, eorum nihilominus ſenſum cum aliis communicemus. In pingendo tum Achille tum Mithridate Racinius hiſtoriam famamque ſecutus eſt: at Cornelius in ſummo hiſtoriæ ſilentio de vitâ Æmiliæ & moribus Rodogunes, muliebrem illam atrocitatem quam animo commentus erat, in ſcenam intulit.

Qui id quod eſt, aut fuit, volet imitando exprimere, naturam ſuis ille coloribus pingat. Rei affingat nihil; nihil detrahat.

Qui audet, ſeu perſonam, ſeu rem quaſi geſtam formare, nullis vel levibus hiſtoriæ fretus auxiliis, laudabitur, ſi neque naturæ vires, neque noſtram fidem ſuperet, & ſibi ipſe conſtet: ne audacia fingendi ad nugas & metamorphoſeon deliria deflectat.

Fruſtrà diſputando quæreretur an majores quodammodo ingenii impenſas deſideret pulchritudo rei; quam

imitationis; an majores, aggeris aut palatii ſtructura, quam vel Adelphorum vel Iliadis. Emicat utrobique ingenium, nec deterioris in imitando conditionis eſſe videbitur, ſeu neceſſaria rei membra fingit, ſeu ordinat, ſeu prudenter opponit; ut fiat, ipſo ſitu, rerum ſenſus magis integer, & quidquid in illis eminet, in imitando pariter emineat. Dum ſimulat arborem pictor ſui caſus proximam, non poteſt ultra punctum temporis evagari. Semper imminet in ictum ſecuris: at ſemper quieſcit. Crederes lapideſcere ſecurim, lignatorem, arborem. Ubi autem ſtant omnia immora ſuis locis, inducit illuc ſpeciem motûs & progreſſionem, pictoris ars: in rei ſcilicet ultima ſpectatorem rapit, ut primi ictus & qui ſecuti ſunt numerari poſſe videantur: hoc ſignat & rubicundus ipſâ operis diuturnitate ruſticus, & ſudore madefacta cannabis, & alte defixa trunco inciſura, & paſſim diſſilientes aſſulæ.

Nec, ſi quando captivum ingenium eſt, nullam propterea virtutem exercet. Hiſtoricos omnes urget ſevera lex & materiæ nunquam violanda integritas: mos omnibus filo rerum obſe-

qui pedetentim: in Liviana historiâ non minor sanè religio: par fides: at longè alia tamen varietas. Occurret illic typographica descriptio; hic oratio extemporanea; nunc personarum pictura vel consuetudinum; nunc rerum disquisitiones & origines; abs re denique non longa sed tempestiva digressio. Sic Livius, cum nec sua sensa nec se ullibi locorum commonstret, arbitratu suo ducit animum legentis & quo libitum est impellit.

Sicubi autem materies, quanquam nota, patitur sese aliter & aliter adornari; hic suas vires ingenium explicet: hic sibi indulgeat.

Achillem inter ac ducem Græcorum Agamemnonem de rebus ad obsidionem Trojanam pertinentibus deliberantes incidisse jurgium, rescivit Homerus ex vulgari apud suos rumore. Hoc tantùm. At series fabulæ, at libri viginti quatuor, at versuum millia totidem; sunt ista ingenii fœtus. Homeri omnia.

Si hic nobis injicienda esset mentio virtutis, rei scilicet omnium rerum pulcherrimæ; si esset ratione constituenda morum pulchritudo quæ elucet omnis ex ordine & utilitate; sermo noster facilè coincideret in ea quæ sunt prius

dicta, non de merâ imitatione, ſed de ipſius rei pulchritudine.

Hic autem omiſſâ illâ rerum bonitate, cujus argumenti vix aliquis finis eſſet, in iis tantum verſabimur quæ ad imitationem pertinent, & animi ſolius utilitatem. Etenim corpori res ipſæ ad fruendum debent adminiſtrari; mentibus autem offerri nec debent nec poſſunt res ipſæ, ſed rerum ſenſilia ſigna & expreſſæ imitationes, quæ ſic ejus intelligentiam afficiunt, ut & præteritis fruatur, & ſentiat abſentia, & futura præcipiat.

Artium claſſes duæ.

Miniſtratoriæ.

Monitoriæ.

Ex eo duplici artificialis boni fonte, artium nata diſtributio eſt. Aut enim corpori regendo, nutriendo, defendendo aut aliter adjuvando utilem ſive fabricam ſive operam præbent. Cujus generis ſunt agricolatio, ars nautica, militaris, ferraria, & aliæ complures, quæ *miniſtratoriæ artes* dici poſſunt. Alterius autem diverſiſſimi generis ſunt, quæ voce, cantu, geſtu, coloribus, aliâve quâcumque ſignificatione, mentem ſic admonent, ut abſentis rei ſenſum faciant. Meritòque artes *imitatoriæ* vel *monitoriæ* nuncupantur.

Naturâ, non opinione nititur hæc artium partitio. Quid enim aliud ſermo,

epiſtola, poema, tabella, vel ſignum quodlibet abſentis rei, quam imitatio aut admonitio. At verò agricultura rei nullius aſſimulatio eſt. Nihil monet architectonica, nihil naviculatoria, venatio quoque, & piſcatio, & ferraria, & operoſiſſimæ quæque artes, & morum virtus ipſa noſtrarum facultatum præcipua: rem exhibent omnes, non ſignum rei.

Monitoriæ artes, quoniam manuum famulatu minùs indigent, aut majori otio exercentur, *Liberales* dici ſolent; ex miniſtratoriis autem non paucæ nunc *Fabriles* nunc *Mechanicæ* dictæ, ſervilibus propè operibus olim accenſebantur. Sed artibus nunc ordinis utriuſque redditur ſuus honor, ſuus reſtituitur gradus. Cœperunt propè omnes ac mechanicæ præſertim non eſſe ingenuis ludibrio, nec principibus etiam viris deſpectui; quibus eximium voluptatis genus, & exquiſiti plerumque famam aut judicii aut ingenii parant.

Utriuſque ordinis artium ſunt præterea conſiderationes & præceptiones quas juſto nomine *ſcientias* dixeris; *artes* non ſatis legitimo. Si quis enim vel geometriæ vel horologii leges conſarcinat; erit ejuſmodi compluribus utilis *Speculatrices artes.*

labor. Neuter illorum tamen artifex dicitur nisi admoverit operi manum. Magni verò artificis occupabit nomen qui nova fabricabit aut vulgaria novè molietur & commodiùs. Est artium quippè id proprium ut sint actuosæ omnes, & vel exhibeânt re atque opere id quod excogitant, vel quod factum jam fuit, fierive saltem potest, industrio signo imitentur. Modorum verò vitiorumque & regularum contemplationes tum præceptivæ tractationes, per se ipsæ steriles sunt, pulchrique non tam matres quàm custodes, & cum sapientiâ rectrices operum; non tamen effectrices.

Proderit sanè artificibus informandis rerum scientia & regularum. Longè melior futura eorum conditio est si ad scientiam sapientia & pulchritudinis à fuco secernendæ plurimus usus accesserit. Is denique optimus operum sive artifex sive judex qui studio & opificio partam scientiam promoverit sapientiâ, utramque naturalis ingenii perspicientiâ & alacritate cumulaverit.

Erunt qui querantur, in instituenda nostrâ divisione artium, non fuisse à nobis accuratè discretam earum scili-

cet naturam quæ utilitati noſtræ addicuntur, tum earum quæ unicæ voluptati. Eam diſtributionem conſultò non obliviosè omiſimus. Artium quippe nulla eſt cui non ſit voluptas adjuncta comes, & ex earum hiſtoriâ non minùs quàm noſtrâ experientiâ certum eſt eum eſſe verum voluptatis finem ut aliqua eam ſequatur utilitas.

Divinorum nempe operum contemplator animus & beneficiorum diſpenſator, inventione artium id fecit aut facere tentavit quod naturæ & ſocietatis autor ipſe præſtat. Non inſtituit ille naturam vel ſocietatem, ut voluptati indulgeretur; ſed omnes voluptatis illecebras eò perduxit ut quæ homini ſunt neceſſaria, de iis homo admoneretur.

Hæ autem res in vitâ videntur mortalium generi præcipuè optabiles, potu ciboque inſtaurare vires; tecto recipere corpuſculum; & aëris ferarumque arcere injurias; conjugio propagare ſuam ſpeciem; liberos inſtruere ad omne ſocietatis officium. Hæc autem & alia quæcumque ſunt factu optima, ſenſum movent naturalibus incitamentis, & uti ea certiùs, at non tamen abſque gubernaculo rationis, fiant, admonet

hominem vel prævia vel comes aliqua delectatio. Non ſunt autem eo fine inſtituta nec fiunt ab homine ut voluptatibus fruatur & abundet. Eſt in voluptate divinum incitamentum, bonique ulterioris admonitio : in legitimâ verò utilitate noſter unicus finis. Sicubi ergò fine agendi poſthabito requiritur voluptas, ibi naturæ rationiſque ſubverſio eſt : ibi merum lenocinium vel proſtibulum.

Sic eſt artium evidenter definita natura, minimèque ambiguus uſus. Hominis causâ inventæ omnes hominem monent & adjuvant uti promtiùs obtineat ſuum finem. Hanc naturæ notiſſimam appetitionem, hoc ſalubre juſtumque votum neque fruſtrantur malignè, neque promovent negligenter ; earumque nulla niſi calumniosè creditur voluptati tantùm ſubſervire.

Nullâ juſtâ igitur eſt ratione factum ut inter merè utiles architectonica cenſeretur, muſica inter merè voluptarias : cum & commodâ domo non mediocriter oblectemur ; & nos muſica ſaluberrimè doceat. Quæ res manifeſtâ humanarum facultatum conſtitutione jam perſpicua & evidens, primâ etiam origine artium demonſtrari denuò poteſt.

Sunt qui neglecto historiæ sacræ nimium vulgari fonte artes miris modis inventas opinentur; primas homini causas casæ sibimet ædificandæ fuisse scilicet ab exemplis hirundinum profectas, cantandi ab lusciniis, vestis contexendæ ab araneâ & bombicibus, artium aliarum ab aliis animalculis. Pluribus commentum placet. Nos anilibus nugis accensemus: quæ autem tradimus in hoc argumento solâ satis freti scripturarum fide; veterum omnium usu & confessione firmantur.

Constat ab exordio rerum fuisse institutum id moris ut unoquoque recurrente novilunio, tanquam conspicuo signo, ad aram communem, in edito ut plurimùm colle congregarentur unius loci incolæ omnes, & positis illic frugibus ac victimis Deo dicerent laudes, agerentque gratias pro acceptis, omne genus, frugibus & bonis; functos virtutibus & patriæ utiles viros posterorum memoriæ commendarent, proponerentque ad exemplum; quæ denique vel morum castimonia, vel agrestium operum necessitas requireret, ea consulerent in commune, & quæ à nemine omitti oportet, affixo publico signo, denunciarentur. Hic

Monitoriarum artium origo.

festorum olim hodièque finis. Hæc noti populis omnibus calendarii origo: hæc artium.

Monitorias tamen intellige, non ministratorias, quas alias aliæ subinde causæ aut adduxerunt aut impediverunt. Istas, quia non sunt nostri instituti, omittemus. Monitorias omnes ipse religiosorum comitiorum ordo, & emolumentum societatis ab initio invexit, servavit, & servat.

Origo eloquentiæ.

Quæ dici oporteret in publico familiarum conventu, cautum primitus est ut cum Cœtûs, Regumque, & Religionis majestate congruerent. Hinc aliqua jam eloquentiæ dignitas, aliqua cura decentiæ: justa loci & personarum reverentia.

Musicæ.

Ut Dei & Heroum laudes, ut præcepta virtutum faciliùs infigerentur animis astantium, traducerenturque certiùs ad posteros, id cantûs dulcedine quæsitum est. Si quid esset memorabili eventu celebrari dignum; tum verò peculiaribus canticis locus. In his gentium monumentis & præsertim hebræorum quæ plurima supersunt, solet esse dicendi non mediocris calor, affectuum testis, sonorum quid in vocibus & splendidæ rerum imagines; cum

soleant illi, si quid historicè scribunt, scribere simpliciter & remissè.

Mox cantûs gratiâ Rythmi additi, hoc est temporum in dicendo canendoque definita utcumque spatia sunt, quies observata loco, & revocatæ identidem numerorum aliquæ similitudines. Rythmorum.

Dimensus etiam est sonorum tenor, & accepit omnis denique versus proprios limites, omnis etiam syllaba suas leges. Poeticæ orationis.

Factum inde est ut sanctissimi religionum præsides perpetuis hujusmodi versibus uterentur quos & canerent commodiùs alii & memoriâ comprehenderent. Quidquid autem viri optimi adjutrice musicâ docerent, id solebant ænigmatum vel fictionum involucris tegere, ac veri incitare desiderium : ex quo ipsis poetarum nomen accrevit hoc est vel fictorum vel artificum. Eadem causa facit ut & hymni, & Heroum laudes, & morum præcepta, & vetustissimi quique sermones poeticè scripti reperiantur. Ejus generis est illa hierophantæ in veterum mysteriis oratio.

Sic facilè solvitur nodus quem facescit legentibus Homerica lectio. Nihil tam insolens aut à nostro sensu ma-

gis alienum quam ab Agamemnone ab bellum Trojanum proficiſcente traditam & commiſſam vati ſeu poetæ fuiſſe pubeſcentem Clytemneſtram, quæ haberet magiſtrum virtutis ac ducem.

Periodicæ orationis.

Poetico invento ſermone, non neglectus omnis in eloquentiâ numerorum uſus. Sed membrorum modo parium, modo inæqualium alternâ, non nimis tamen anxiâ percuſſione, linguæ ſua data quies; ſua menti : deſinendi varietas multa : ſonandi denique perpetua ſuavitas.

Dimenſionem cantûs & numerorum legem geſtus quoque ſecutus eſt, ſeu corporis conformatio ejuſmodi quæ vel lætitiam, gratiarumque actionem ſignificaret, vel funeribus congrueret ac temporibus luctuoſis.

At ne quid non ordinati admitteretur; ne quid privatâ cujuſquam voluntate vel inſcientiâ peccaretur in cœtu publico, paulatim arte, lege, conceptis verbis, conſtitutiſque tum motibus corporum, tum formulis cantûs omnia geri, & ad ætatem ſequentem tranſmitti : hinc tanta muſicæ, poetices, & ſaltationis antiquitas.

Facto deinde harum rerum divortio contigit id ridiculi ut compoſito geſtu

ſignificaretur nihil, & multis paſſibus tenderetur in nullum locum.

Mos præterea in communi veterum poſt rem ſacram convivio exaudiri qui voce ac tibiis Dei & Patrum laudes canerent, Heroumque res geſtas non tantùm hymnis & poetico eloquio proſequerentur, ſed vulgari oratione recitarent, aut eadem etiam perſonati agerent, vergente præſertim in finem autumno, partis frugibus, parto otio.

Sic rerum imitatio vertit ſe in omnes formas, & uti teneret animos, uti neminem pateretur eſſe rerum neceſſariarum rudem, ad omnem ſeſe doctrinæ habitum, & audientium captum accommodavit. Panegyrici generis, Lyrici cantûs, Epopœæ & Dramatis exordia hæc; eadem ænigmatum, ſymbolicæque ſcriptionis, eadem cælaturæ; picturæ & aliarum artium, quotquot monitoriæ ſunt, origo.

Mentem admonent omnes; aliæ aliter. Cumque inſtituendi religioſi conventûs non fuerit alter propoſitus finis quam ut meminiſſent homines & Dei, & Patrum, & ſui; tum ut communium inter ipſos operum publicâ denunciatione, longè ac latè diſperſi agricolæ conſentirent; hinc ab ipſo ſinu religio-

nis prognatæ artes sua sunt institutione utiles: non imitantur nisi ut doceant: nec delectare student nisi ut delectando doceant.

Hunc ordinem mutavit idololatria, & artes ipsamque religionem voluptati mancipavit. Pari fraude alligantur qui artes à suo fine abductas voluptati devovent. Simulacris igitur dissipatis idololatria perseverat.

Varias pro hominum libidine corruptelas expertæ imitatoriæ artes, Barbarorum deinde incuriâ & Mahummeticæ legis immanitate propè extinctæ, ab unicâ religione Christianâ bonorum rituum custode obtinuerunt ut ne funditus perirent. Fuit ubique gentium in Christiano cœtu aliquis artium omnium usus. Adeò ut paulatim reviviscerent, meliori denique formâ donarentur & florerent. Quidquid enim primo hominum generi artes illæ utilitatis attulerant, illud eloquentia, poetice, musica, pictura, dierum festivitates, oblationes, sacrificium, cœna communis, totiusque religionis admonitorius ordo, omnium ætatum Christianis, præstiterunt, hodièque præstant.

Constat igitur æquissimis societatis legibus, & ipsâ liberalium artium tum

naturâ tum historiâ, earum esse nullam quæ in merâ voluptate sistat gradum; sed ita inventas esse ut incitamento voluptatis & suavissimo genere admonendi, hominem perducerent in præstantiorem finem, scituque digna vel factu necessaria edocerent.

Quanquam autem provideri debeat in artibus ejusmodi voluptas quæ hominem doceat non corrumpat, est artificis tamen ipsam creare quam poterit, illæsâ decentiâ, maximam. Metus enim est ne si mediocriter oblectat, aut etiam vitiis offendit animos, ubi fecerat spem veræ amœnitatis; inde languor & tædia suboriantur.

Voluptatis artificialis virtus & causæ,

Hinc poetica & musice quæ se legibus adeò severis obligant, & plura reliquis ac dulciora pollicentur, sunt præ cœteris fastidio conterminæ; ac ne tolerantur quidem, ni fidem exolvant.

Tribus verò ex causis gigni solet illud honestissimum voluptatis genus, quod artium liberalium proprium est, ex ipsius nimirùm imitationis veritate, quâ impunè destitui nulla earum potest; ex prudenti præterea rerum quæ proponuntur ad imitandum, delectu, hoc est ab earum provisâ vel in bonam vel in malam partem naturali præcel-

lentiâ; ex appositâ demùm cum nostris, non libidinibus, sed utilitatibus convenientiâ.

Liberalium artium communis imitatio.

1°. Communis quidem est artium liberalium natura; id quod abest, imitando proferre. In eodem imitationis fundo se exercent omnes: at suo modo singulæ.

Eloquentia rem de quâ sermo est & affectum loquentis oratione imitatur ac gestu. Vide, quæso, quibus coloribus, imminentem Romæ ruinam Tullius retegat & pingat; quo terrore concutiat Patres, Plebem, Mancipia; quo fulmine Catilinam proturbet & expellat.

Historia rem gestam imitatur oratione quæ faciat fidem testimoniis adductis, & suppresso omni præjudicatæ opinionis indicio. Habet historia nonnullam cum lite similitudinem. Relatoris vice fungitur historicus, & quidquid est ambiguum, explicat ac disputat in utramque partem. Penes Lectorem judicium esto. Patriciorum cum plebeiis annuatim revertentia dissidia, in Livii historiis passim. Ubi Patricios inducit ille in scenam pro suâ causâ dicentes; Patriciis faventem Livium credideris. Ubi Plebis agit causam, dixeris

tis Plebeium: tantus eſt in utrâque exponenda causâ partium ardor, tanta utrimque momenta rationum. Cum perveneris ad hiſtoriæ finem, in utrius Ordinis gratiam narrator eximius inclinârit; hoc tibi penitùs ignotum.

Poeſis oratione pariter utitur, at ejuſmodi oratione quæ ſit numerorum & metri legibus aſtricta, cantûſque proxima: naturam autem abſentem imitatur, ac reddit vel qualis illa eſt, vel qualem eſſe poeta optat, & cum veriſimilitudine ſibi animo fingit odio ſeu amore digniſſimam. Hinc Poetæ ſeu Creatoris nomen, hinc tantoperè decantata poetarum libertas vel ea quæ non ſunt, fingendi, vel ea quæ ſunt ordinandi pro ſuis.

Imitatur muſica vel rem, vocis humanæ cantu, vel utcumque cantum vocis humanæ, inſtrumentorum ſono. *Utcumque*, inquam: quia ſonum quidem ſonó imitantur inſtrumenta; non reddunt & ſenſum. Inanimes tamen ejuſmodi ſonos muſica commodè uſurpat; nunc uti humanæ voci concilietur ipsâ ſocietate aliqua firmitas, & adminiculi ſecuritate major quoque gratia; nunc uti eò ſigna neceſſaria perferantur quò pervenire non poteſt vocis noſtræ

tenuitas; interdum ut ſit aliqua canendi intermiſſio & venia quieſcendi; at præcipuè ut melodiæ dulcedo, harmonicarum partium nutrimento concentuque augeatur. Sic illæ, cùm varietatem generent, cantus tamen ſignificantis unitatem non deſtruunt.

Soni autem inſtrumentalis, niſi cantum verè ſignificantem comitetur aut ingeminet, promtiſſima ſolet eſſe ſatietas. Eidem incommodo ſubjacet ipſa humana vox; ubicumque nec rem nec affectum pingit, & aut volubilitate canendi, aut ambitione doctrinæ non vulgaris, tentat ſonos variare prodigialiter; interim rei ſenſum nullius facit. Num tu eum reputabis vel oratorem vel poetam, vel muſicum qui ſyllabas pro verbis componat ad numeros? Non dimenſum ſtrepitum, non meros rythmos peto; ſenſum cum rythmis & metris peto. Aliquam ſanè rerum pro ſuo jure mens noſtra repetit imaginem; ejuſque ſubtractione otiatur & elangueſcit. Artium ſic deſinit virtus ubi deſinit imitatio.

Inimica ſæpè imitationis eſt Artificum vanitas & ingenii aut eruditionis oſtentatio: neque gloriæ ſuæ tutiùs unquam conſulunt quam ſi ſuo in opere imitationem ante omnia commendant;

si ei latendo subserviunt; si suas vires consulto extenuant. Imitationis enim illecebris capiuntur omnes; Imitatoris doctrinâ & acumine perpauci. Crescit artificum laus & fortuna pro imitandi gradu : & in summâ tum operum tum ingeniorum disparitate conferetur cum Homero Fontanus ipse, cum Cicerone Lullius; quia par in omnibus imitandi felicitas. Nec superat Cornelius imitationis virtute Racinium, sed inventionis. Ex noto Racinius pingit : agnoscunt omnes morum picturæque mirabilem veritatem. Propositum alteri est in iis quæ vulgò subjacent omnium oculis, raro subsistere, scrutari potius & inquirere si qua sunt rara, splendida, magnifica; non tamen inimica verisimilitudinis; explorare denique quousque possit humana mens aut virtute assurgere aut vitio deprimi. Hoc genus quasi proprium sui, sibi Cornelius asseruit.

Imitantur naturam pictura, cœlatura, & symbolica, non oratione ac sonis, ut priores; sed colorum, & umbræ linearumque ductibus aut panno textili, aut ligno, aut lapidi aut metallo impressis. Quemadmodum autem soni non significantes neque imitatorii

numeros & cantus non generant nisi spurios, à desiderio mentis alienos, & ad fastidia vergentes; sic neque picturam constituunt colores etiam ordinatissimi, ubi non sunt cujusquam rei signum.

Luctum denunciet color ater: albedine ac viriditate oculi exhilarentur: sit in his aliisque hoc & illo modo remiscendis aliqua industria: nusquam tamen artis nomine donabitur industria ejusmodi: neque pictoris obtinebit nomen, nisi qui colorum finibus & commissuris fefellerit oculos, ut, quæ absunt, imitationis perspicuitate, quasi præsentia, percipiantur. Nemini jam mirum videbitur esse ut musicæ instrumentalis, sic versicolorum cartarum voluptatem brevem. Hic scilicet artium scopus ut aliqua sensuum voluptate mentem pelliciant ac doceant: quod si conquiescunt in sensu, & intelligentiæ nihil tradunt, aberrant à scopo. Sonorum verò, & gestuum, colorumque doctrina, sine imitatione, nulla est. Frustra oculos auremve percutis. Ubicumque mentibus imago nulla observabitur, non modo non docebis quidquam, sed neque placebis diu,

Sic necesse est suo fine carere artem; suo simul artificem.

Pro diverso sentiendi organo diversa imitandi ratio est; unde artium liberalium nata discrimina. Earum principia & species diversas alii aliis temporibus diversimodè illustrârunt; easdem nemo aut ad naturæ leges aptius, aut ad optimorum artificum mentem accommodatius, quàm autor litterarii curriculi (*a*) nuperrimè retractavit.

Nos, omissâ singularum artium doctrinâ, huc tendimus, ut litterariæ sapientiæ rudimenta prima nunquam à veterum linguarum studio divellantur. Sapere autem discet quisquis verum pulchritudinis agnoverit gustaveritque fontem; & causas illius præsertim voluptatis attigerit, quâ consequi solent præclaræ artes ut placeant ac doceant.

Prima voluptatis hujus causa, fidelitas in imitando; cujuscumque rei imitatio sit. Non fluit à limbi splendore, non ab ipsius elegantiâ penicilli, regiæ imaginis prima laus: ab imitatione fluit: quæ, si vel unius partis absimilitudine peccat, affert mediocrem voluptatem; *Imitandi fidelitas.*

(*a*) Chez Saillant, rue S. Jean de Beauvais.

si omnium, affert omnino nullam.

Cùm sit imitationis tanta virtus in artibus monitoriis, quæritur utrum, certa aliquâ lege & ratione fiat laudabilis imitatio.

Non tam sapientiæ opus illud quàm ingenii. Documentis quidem, studio, & usu conciliatur sapientia; non ingenium, non imitatio. A naturæ & societatis operibus oculos nunquam dimovere, sentire quid res unaquæque valeat, quid habeat pulchri, hic sanè sapiendi fons ac principium. Tum si quis pulchri usu & sapore assiduo afficeretur, cum deformitas omnis, ipsâ suâ novitate & oppositione offenderet. Operantis autem ingenii cùm sit sapientia moderatrix, quidquid sapientiæ lucro & rationibus accrescit, eo non mediocriter & ornatur & confirmatur ingenium. Sic erit imitationis veritas plenior, & major gratia, si suum opus ingenium absolvit præferente facem sapientiâ & omnis decentiæ suggerente sensum.

Fatebimur tamen id quod res est. Pulchri contuitu aut usu nunquam subnascetur ingenium; nec, sicubi deerit, inde proficiscetur imitatio alicujus pretii. Naturæ imitator non magis in-

formatur, nec plus induſtriæ comparat, viſo Helenæ Roxaneſve vultu, quàm rictu Tigridis aut Leænæ.

Haurit animus à ſeipſo & ab innatâ ſuâ fœcunditate veritatem & vim pulchritudinis ejus quam vel inventione generat, vel exterius imitatione profert.

Id jam liquidò probant opera miniſtratoria; quorum artifex virtutem gratiamque depromſit omnem à provisâ partium compoſitione & ſperato confidenter effectu. Quod ſi aliena inventa geminat, aut etiam pro ſuis obtrudit, inde ſpes laudis aut modica aut parum legitima.

Sic affulget lux aliqua ſatis obſcuræ quæſtioni, cur eorum quæ præclariſſimè inventa ſunt, latere ſoleat autor. Nondum ſatis ſcitè digeſta inſtrumenta cum caruiſſent effectu, primitùs neglecta ſunt. Reſumta deinde aliorum manibus, utilem tandem ſunt conſecuta formam. Fecit primi operis infortunium ut oblivioni traderetur autor: fecit poſteriorum artificum modeſtia ut ne ſuum dicerent, quod eſſet alterius. Ipſæ verò rerum inventiones ingenio incœptæ, ingenio abſolvuntur.

Virtutem pariter imitationis obtinet

animus, non sanè ab ipsâ naturali rerum pulchritudine; cum rei non pulchræ possit esse pulcherrima imitatio, & prava pulcherrimæ; sed à seipso denuò, & ab acumine intuitûs omnia perscrutantis, omnia tradentis fideliter & sibi & aliis. Hunc ingenii ardorem Græci enthusiasmum dixere, Latini divinum afflatum.

Imitandi veritatem vides, uti aliud omne pulchritudinis artificialis genus, inexpectatam anteà, nulli prius notam, venire subitò ad lucem, creari hominis industriâ, ejus esse illud opus, ac propriam laudem.

Inventionis & ingenii cum imitatione quam sit arcta societas, artificum satis exempla suadent. Fuit sanè Romanis non injucundum sui autoris Æneæ sibi commemorari ac describi errores. Virgiliana tamen imitatio longè aliud salis ac saporis traxit ex Æneæ ad Carthaginem adventu, & quæsitâ tunc probabili origine illius internecini inter æmulas urbes odii.

Virgilii eadem est in minimis partibus imitandi dexteritas. Defixo in tabellis Cartaginensibus Æneæ Troïlus occurrit resupinus è curru: fugientibus equis puer infelix lora tamen tenet,

nec dimittit hastam, versâ cuspide longum iter in pulvere describentem. Sic pictor industrius, actionis momento unico adjungit aliquam diuturnitatem.

In omni poemate, in epopœa præsertim & dramate primas tenet ingenium cujus illic arbitrio & jure omnia dispensantur. Sic metra, quanquam sint saporis & suavissimi, & valdè diversi, pulchritudinem secundi tantum ordinis pariunt.

At imitationis calor & ordinis virtus, quæ partes videntur poetarum propriæ, in oratorio genere & in minimis etiam operibus, servant suum jus; moderatius tamen exercent. Nec ab ipsâ demum historiâ, quanquam hanc eventuum imperiis obsequi necesse sit, exulat ingenium. Vitat quidem historicus omnem suspicionis ansam. Fugit videri: placet tamen legentibus, nunc eruditâ disquisitione; nunc ordine probationum: hic morum picturâ, illic personarum. Nullius unquam qui vixerit affectum vel sensa, suâ opinione metitur. Satis historico si traluceant ipsâ scilicet agendi ratione aut alienis sermonibus. Neque ars minima scribentem tacuisse quæ sentiret & communicasse tamen cum legentibus.

Quot ſpecies imitationis, tot pulchritudinis oriuntur ſpecies, quarum neutra quod ſuum eſt, ad alteram traducit: omnes & ſingulæ de integro creantur, ac ſingulari mentis facultate, non ſtudio, non laboris conſtantiâ procuduntur.

Cui non ſuppetit ea ingenii ubertas, egeſtatem ſuam ſapientiæ ſubſidiis & judicii ſolabitur incremento. Sentiet quid habeat omnis imitatio pulchri; quid falſi. Fiet Ariſtarchus: nec minus Ariſtarcho gaudebit univerſa ſocietas quam ſeſe vel Homero jactat illa, vel Boſſueto.

Ab iſtâ ſapientiæ laude nullius arcetur labor. Habent ſapientiæ ſtudia ſuam in dies mercedem, uti opticæ obſervationis diligentia ſemper ad ulteriora & nova gradatim perducitur. Microſcopica tractanti ab initio ſatis eſt, ſi corporis figuram, quanta eſt, apprehendat uno intuitu. Mox aliâ & aliâ adhibitâ lente quæ figuram amplificet, ſingulas pedetentim partes perveſtigat & partes partium. Nec prius abſcedit quin derivetur in eumdem locum alter & alter luminis gradus, omniumque poſitionum favor. Optici autem eſt contemplari opera naturæ. Hoc tantum.

At sapientiæ studioso incumbit labor duplex, naturam nosse scilicet & inquirere deinde ad eam naturam quantum quis imitatione accesserit.

2. Voluptatem animi, quam veritas imitationis adeò suavem facit, suaviorem faciet altera causa, rei nempe *prudens delectus* & natura materiæ quæ sit non tantum vel bona vel mala, sed in alterutram partem singularis.

Rei delectus quæ proponitur ad imitandum.

Hic enim, ut in ministratoriis artibus, suæ semper tenuitatis conscius artifex, naturæ sapienter utitur adjumento: & quamquam generet omnis imitatio vera veram pulchritudinem, placebit imitator longè aliter, ubi rem suâ naturâ vel pulcherrimam vel teterrimam, & eo ipso ad commovendos animos idoneam; fecerit aptâ imitatione præsentem.

Qui ædificat non satis habet si atrium, cœnationem, porticum, scalas, procœtones, diætas, hortosque descripserit eleganter, & aptè conjunxerit. Primus labor conciliare operi suo laudem nativâ loci pulchritudine & soli delectu. Nudo enim arentique agro nulla, neque artis neque pecuniæ vis inferet aut sylvarum scenas, aut prospectum montium, aut fluvii intercurrentis hu-

morem. Tanto autem munere naturæ qui utitur, domum pulcherrimè excogitatam quantâ pulchritudine cumulabit?

Equitum Melitensium res benè accuratèque scripsit Vertotius. Quid, quam rectiùs consultum nobis esset, si vel in Romanâ mediæ ætatis historiâ, vel in magno aliquo, nec noto satis argumento stylus ille versaretur?

Fuit Romano pictori Caravagio laudi datum, quod quæ pingeret, qualia viderat, pingeret. Probro interim fuit quod in summa deligendi libertate, species hominum quæ fortuitò occurrissent, arriperet breves, macilentas, turpes. Mos contrà Raphaelis & Pussini nostri, quæ vel in monumentis veterum, vel in suorum hominum convictu laudabiles vultus, patriarchales formas, & egregiè constituta corpora conspexisset, ea sibi proponere ad imitandum; quæcumque figuræ degeneris essent, nisi aliud juberet materiæ necessitas; ab iis abstinere manum.

Eam quidem legem vir summus Rubenius observat; ultramodum tamen, hâc in parte diligens. Naturam non tam eligit quam inflat, & figuras amplificat omnes ad Colossi magnitudinem. Quam

curam nôrunt omnes esse uno tantum loco optabilem, nempe cum res è longinquo visæ, hac arte ad naturæ normam, & ad oculorum judicium commune revocantur.

In libero materiæ delectu eam semper amet vir prudens quæ maximè excellit, & insignis naturæ subsidia minimè repudiet. Sic enim & ipse ad benè imitandum magis incitabitur & ex duplici fonte prometur voluptas uberior.

3. Feret omne punctum quisquis cum pulchritudine imitationis & non vulgaris naturæ delectu, rei plurimam pertinentemque ad omnes utilitatem conjunxerit. Ea enim quæ artibus quæritur voluptas, ubi hominem non meliorem facit, in venenum vertitur. Materiæ utilitas.

Tres illi artificialis pulchritudinis & voluptatis gradus quantoperè debeant connecti, quibus tamen locis divelli nonnunquam possint, aliquot exemplis comprobabimus.

Omittitur interdum summa utilitas. Omittitur interdum excellentia rei; imitationis amœnitas nunquam. Ludovico Magno licuit ex planitie arentissimâ excitare Versalias, & Bolæo eximii poematis in subverso pluteo constituere materiem. Quod qui committere au-

debit eum necesse est eximiæ imitationis arte reparare tenuitatem rei.

Ex humanâ oratione libertatem imitandi & imaginum usum sustuleris: illicò perit poeticæ vis ac decor omnis extinguitur. Iis prope omnibus qui nostrates inter philosophica metricè scripserunt, notum quam res malè cesserit. Si quis qui se oratorem profitetur aut historicum, sit omninò pingendi nescius, ad legenda quæ frigidè aridèque scripsit, alliciet neminem. Si legis Tillotsoni libros, audis timidum scholæ candidatum; si Bossueti, audis oratorem, audis episcopum. Confer Livianam historiam cum ætatis mediæ scriptoribus: hic nullam reperturus picturam es aut rei gestæ, aut ejus qui rem gesserit. Facit eadem egestas ut jejuna tristisque rerum metaphysicarum totiusque grammatices tractatio videatur. Hinc tam modica & plerumque nulla ex præceptivis scientiis capitur voluptas, in limine præsertim. Sumus enim rerum & operum, vel saltem imitationis avidi, non præceptorum.

Novi equidem quantum, ipso exponendæ rei nitore inductus animus, & gliscente utilitatis sensu, in mathematicis disciplinis, pasci amet notitiâ veri, & veri

consecutionibus. Paucorum tamen est ea quæ speculatricibus doctrinis obtinetur voluptas. At nemo hominum propè erit, quem non aliquatenus commoveant liberales artes, vel unico illo imitationis blandimento. Cui, quæso, non arrisit Horatiana illa ode: *O fons Blandusiæ*, quanquam in re omnium levissimâ, in re nullius momenti? Placet vel culicis vera effigies, placet araneoli, conchylis, passerculi, ranunculi. Placet pictura sylvarum, rupiumque, & rivuli ex plano per prærupta præcipitis.

Harum imaginum virtus crescit cum nativâ rerum pulchritudine. Non diffitendum tamen in postremâ illa loci sylvestris adumbratione subnasci nonnihil tristitiæ, ipsâ nimirum suspicione alti illic silentii & horrore solitudinis.

Non satis igitur est ea quæ videntur, ut placeant, pingi suis coloribus & esse naturaliter pulchra: dulcia quoque experiri volumus & à rebus nostris non omninò aliena. Subjecerit pictor cadenti rivulo versatilem pistrini rotam, vel ad ostium villæ custodem canem: hic jam humani aliquid: hic industriæ & societatis opportuna recordatio. Plus quoque vitæ ac delectationis ha-

bebit ſpectaculum, ſi in ambitu rivi de naviculâ ſagenam piſcator effundat; ſi dilapſus è reticulo piſcis in gramine perſultet.

Novitati ſuum non deeſt acumen, non ſpecies aliqua noſtræ utilitatis. Facilè omittitur tabella quæ ſubjicit oculis vulgare aliquod ſimii genus. Ad eam curretur quæ vel ſimium (a) Martinicenſem vel ſimiolos illos imitabitur quorum ſtatura vix pollices ſeptem, aut partem mediam Martinicenſis exæquat. Non mediocris ad figuræ novitatem accedet ſapor ab ipſâ compoſitione, ſeu poeticâ, ut aiunt, artificis inventione. Sic ille ſimii Martinicenſis non tantummodò vultum, ſed & victum ac mores effinget, ſi animal roſo fune ſuperbiens hortum irruperit, obviæque ananæ injiciat victricem manum. In minoribus illis pariter collocandis erit non minus faceta indolis quam oris elegantia. Simius uxori munuſcula fragorum; viro uxor filium oſtentat recens naturæ miraculum.

Creſcet noſtra gradatim voluptas ubi oblata res, nova videbitur, ubi erit aliquatenus noſtra; ubi erit rei in-

(a) Le maqui.

geniosa imitatio; ubi quanquam sit imitandi difficultas plurima, erit imitatio expedita & vera. Musici enim & poetæ, quoniam sunt illis impositæ metri modorumque durissimæ leges, non minimâ voluptate perfundunt animos, ubi, id quod faciunt in tantâ servitute constituti; faciunt eleganter tamen, & ingenii speciem dant sub tormentis præceptionum liberrimi.

Facit etiam nostræ in omnibus utilitatis amor, ut quæ terrorem nobis, si vera essent, incuterent; eorum nobis afferat imitatio non levem delectationem. Sic est jucundissima legentibus Alexandri per attonitas urbes advenientis imago quinque simplicissimis scripturæ vocibus expressa: *Siluit terra in conspectu ejus.*

Hinc lacrymæ rerum suavissimæ in tragicorum spectaculis. Hinc magno in populo propositis ad spectandum tabellis, ubi se obtulerit tigridis iracundæ facies, vel in canes revertentis apri furor; illuc itur, & resistitur diutius, ipso securitatis aspectu.

Nostrorum hominum multitudini sæculisque sese omnibus approbabit, quisquis fuerit in imitando verus, in multâ difficultate liber & fluens, in

pulcherrimi per se argumenti delectu prudens, & in omni opere, utilitatis publicæ reverentissimus.

Sunt sanè optimi rerum pictores Livius, Virgilius, Ovidius, Claudianus. Verum in illa formarum transmutatione & in raptu Proserpinæ quid præter nugas canoras aut etiam nocitura delectamenta reperturus, quæso, es ? Laudantur autem Livius ac Virgilius quod res ille scitu dignissimas & politicæ rei valdè utiles, hic virum pietate in suos, & ut legum prudentiâ sic bellica fortitudine insignem, sibi ad pingendum proposuerit, cumque summo ætatum omnium applausu suum sit uterque propositum, singulariter assecutus.

Neque Homero vel Sallustio locum inferiorem assignabis quia sit alter Catilinæ furores imitatus, alter Achillis iram planè illaudabilem ac detestatam suis. Furor quidem suique minimè potens animus, non dicitur bonus in genere morum : si eventuum tamen ratio habetur, aptissima sanè stylo exercendo materies, & omni hominum generi principibusque præsertim viris ad intuendum proponi dignissima ; ut ipsâ profluentium inde malorum execratio-

ne omnes ad concordiam invitentur, omnes iram fugiant bonis quoque formidolosam.

In lectione Homericâ solet id mirum videri & superare omnem fidem, illiteratis nempe temporibus extitisse virum qui, quæ vellet, pingeret optimo genere imitationis, & cum nemo esset quem sequeretur ducem, fabulæ tamen ordinem singulari artificio contexeret. Iisdem magistris usus Homerus est quibus optimi omnium ætatum artifices, naturâ, societate, ingenio, studio, sapientiâ.

Jam de Lucretiano illo poemate quid oporteat statui non obscurum est. Laudem profectò non meruit aut veri sapientis aut etiam veri imitatoris. Latinè dixerit: volo: & eâ sæpè latinitate delector. Hic & illic naturæ diversas partes penicillo eleganti adumbrârit: non pugno. Est alia tamen styli pulchritudo; alia operis. Fine nempè proposito & operis summâ fateberis infelicem; qui admirabilitatem naturæ ab unicâ ordinis, constantiæ, & pulchritudinis causâ sejunxerit; qui perennitatem compaginis & utilitatum, causis impotentibus ac cœcis ascripserit. Lepidissimo sanè scientiæ genere famam

Si stylum excipis, nulla dignus laude Lucretius.

conſequitur qui autumat particulas temerè concurſantes, in organicam machinam, nullo duce, recto tamen itinere, diſtribui; certam ſibi omnes cooptare ſedem; ex uno earum globo exiſtere cerebrum non cor; ex altero non cerebrum, non tria corda, ſed cor ſimplex proprio ſemper loco; tum priſtini ſui exemplaris formæ aſſimilari omnes ac ſingulas, & naſci ex partu hirundinis hirundinem, ex partu mulieris hominem non equum, non cœpam, non cucurbitam.

Singularis denique abſurditatis eſſet ei viro deferri ſapientis nomen qui ſpem metumque ſocietatis nervos diſſolvere, & his etiam longè meliora virtutum fundamina ſubvertere attentarit.

Qui ſit artium legitimus uſus, qui abuſus, hoc ſatis jam liquet ex Ovidianis ineptiis & Lucretianâ vecordiâ. Quæ cauſa igitur facere potuit ut poemata ejuſmodi nec laudari nec legi unquam deſierint? Ea eſt imaginum vis, ea imitatorii ſtyli. Adhæret huicce ſtylo quaſi pediſſequa voluptas, quæ omnes allicit, at rationis tamen imperio ſubeſſe debet in omnibus. Quanquam ergo voluptate abutatur quiſquis eam contra

fas & ordinem ratione ac lege præſcriptum, uſurpat; eo fine à Deo creatam eſſe conſtat uti ejus ope & ſalubribus invitamentis in omnem virtutem, in id omne quod eſt noſtræ conditioni aptum, perduceremur.

Scholaſticorum turba omnis ac metaphyſici aliquot ætate noſtrâ non incelebres hanc pingendi & imitandi artem quaſi noxiam reſpuunt, & in omni noſtro ſermone nos jubent ſimpliciſſimâ rerum deſignatione contentos uti verbis inornatis ac dominantibus, omni amoto tranſlationum figurarumque motu.

Qui ſic philoſophantur, næ illi ab hominis naturâ longè aberrant. Noſtra enim neque cond tio poſtulat, neque facultas ſinit nos interiora rerum perſpicere rimarique cauſas. Externam tantummodò faciem rerum ſenſu percipimus, & comparando definimus quid diſtent, quid commune habeant, quid commodi vel incommodi nobis afferant. Hinc ſermo noſter à ſenſuum documentis, ab imagine rerum corporearum, ſocietatiſque utilitatibus vix recedit.

Noverat qui hominem condidit, quid in homine eſſet, quâ oporteret

Imaginum eloquentia & affectum.

cum arte regi. Hinc in verbis Christi & in illâ præsertim de monte habitâ oratione quæ pingendi vis ! qui delectus rerum ! quanta earumdem necessitudo cum affectibus omnium nostrûm ! quàm efficax in simplicissimo genere dicendi, quàm populare magisterium, quo indocti erudiuntur, docti stupent !

„ Si oculus dexter scandalisat te, „ erue eum & projice abs te. Sitis filii „ Patris qui solem suum oriri facit super bonos & malos, qui pluit super „ justos & injustos. Cum facis eleemo„ synam, noli tubâ canere ante te. Ubi „ est thesaurus tuus, ibi est & cor „ tuum. Respicite lilia agri : respicite „ volatilia cœli, &c. quid vides festu„ cam in oculo fratris tui, & ecce tra„ bem in oculo tuo non vides.

Sic homo est : imagine movetur & affectu. Eadem Sapientia quæ hominem fecit & errantem revocavit in viam, docendi artem, quæ esset optima, illo satis exemplo monstravit. Errant igitur qui ab eloquentiâ usum translationum & figurarum excludunt, quod visum Lockio est. Errant gravius qui utuntur genere dicendi omni affectione destituto. Etenim ubi cum solâ intelligentiâ res est, ubicumque

motus voluntati nostræ nullus inducitur, illicò torpet oratio, concidit eloquentiæ vis, perit artium laus omnis & utilitas.

Non igitur, qui tereti sermone placuerit, aut ediderit versus benè sonoros, faciles, imitatorios; continuò eum nos optimorum numero inseremus: sunt alia his majora. Rei pulchritudo, rei utilitas: quæ si negliguntur mentem denique remordent absentis boni desiderio, & incuriam rerum, conscientiâ vanitatis, castigant. Pudor est rationem legendo deformari, aut ad meliora non surgere.

Sæculi posterioris & nostri scriptores eo fine non pauci scripserunt ut rumoribus hominum perferretur quantum in illis esset ad cogitandum industriæ, quæve styli mundities. Rerum propterea imagines adnectunt imaginibus & sonantia verba sonantibus verbis. Verum imitantur egregiè res nullius pretii. Campanarum illic mihi videor tinnitus percipere graves, medios, acutos, omnes legitimos. Cùm audieris, non injucundè instrepere auribus pergunt. Emoriente demùm sono, superest nihil. Quam sunt verò non fluxæ species eorum omnium quæ vel sc-

mel legeris in Bruherio, in Bolæo, in Burdalovæo, Nicolio, Maſſilione & Boſſueto. Fontani una fabella imò & unica plerumque vox magni operis vices gerit.

Bon jour, Monſieur *du Corbeau.* O combien de *Céſars* deviendront *Laridons !*

Quàm debilis & frigida ſit imitationis veritas quæ animos nullâ utilitate nullâ boni communis affectione impellit, id magis ac magis exemplo & hallucinatione pictorum eluceſcet. Eorum plerique hominis externam anatomiam varioſque muſculorum conquirunt effectus pro ſitu ſcilicet & actione corporis. Fugas pariter & intervalla corporum inter ſe, luminis quoque decrementa & projectiones veſtium ex arte ſimulare ſtudent. Benè ſanè : & ô utinam veros earum rerum imitatores minimè deſideremus ! poſſe autem ipſos animi ſenſus proferre, & ex vultu, ex poſitione cervicis, ex digiti flexu denudare mentem, cùm ſit illud picturæ miraculum, eximia ea pictorum laus, at rara virtus. Avidi figurarum videntur eloquentiam naturæ nihili feciſſe, & hanc ſuæ artis tantoperè decantatam partem, in quâ ſumus à naturâ eruditi omnes,

omnes; quam partem vel puer acclamando agnoſcit; illi vel non attentant præ deſperatione, vel omittunt, regulis ac doctrinæ commodiùs indulgentes. Ex quo id pluribus accidit ut ſtatuis opponerent ex adverſo ſtatuas non homines; aut ſi libuerit addere aliquem pro loco & fortunâ ſenſum vel motum, pingerent figuras pro iratis rabioſas; pro manſuetis pueriles; pro heroïcis atroces. Sæpè oculi non tam affectione incaleſcunt quàm prominent ex orbitis. Sæpè ſimplicem gratiam expellit malè diſſimulatus placendi labor, & quibus hominibus par erat affingi aliquid vel in vultu majeſtatis, vel dignitatis in inceſſu, eorum figuræ præ ſuperbiâ rigent, & præ rigore lapideſcunt. Ita non novit artifex hominum ſenſa, non ſocietatis mores, non varias tùm gentium, tùm ætatum, tùm fortunarum affectiones & vices: ita totus fuit in muſculis & humanâ cute.

Ex affectuum vulgatiſſimâ omiſſione & incuriâ fluxit illa hiſtoricarum tabellarum egeſtas & æterna ejuſdem argumenti repetitio. Cujus mali fiet aliquis tandem finis, cum earum rerum veri amatores confectâ ex communi

consensu pecuniâ, res Græcorum, Romanorumque, aut nostras delineari curabunt & ære incidi. Sic enim promovebitur historicum genus: in dies quoque provenient artifices & novi & boni.

Illas & alias imitatrices artes professi sæpè sunt quibus erat parta meditando scientia, quibus fortè non defuit ingenium; defuit artificum tamen gubernatrix & operum sapientia; defuit sensus nativæ pulchritudinis, & communium affectuum, qui sicubi deficiunt, requiruntur ab omnibus; ubi adsunt, prætereuntur à nullis. Quod si notissimâ illâ declaratione affectuum caret imitatio, necesse est eam naturæ detrahere aliquid aut addere, semper fluctuantem, semper sui finis incertam, semper egentem florum & ascititii ornamenti.

Unde tanta imitandi inæqualitas.

Mirùm propterea videri solet, cur, cùm sit natura omnium temporum, non sit omni ætate pariter vera, & affectuum plena, naturæ imitatio. Apud Romæ veteris & Athenarum artifices adeò sincera in omni genere fuit, ut natura videatur non tam ullis eorum conatibus quæri, quàm ire illis obviam? Si enim tragicum genus excipis, in quo

existimantur nostri præripuisse palmam; nullius operis diuturna fama nunc est cujus forma scilicet à Romanorum gustu & opinione recesserit. Non vulgare sanè Romanorum decus, esse neminem è nostris, quem, si conjunxerit, in imitando, cum simplicitate dignitatem, non continuo Romani moris retinentem dicamus! nec videtur alia Romani operis pulchritudo; alia naturæ!

Jam si dilabimur ad ea tempora quæ sunt imperii subsecuta casum, quam rustica illic & abnormis imitatio! cùm esset eadem natura quæ priùs, & eadem naturæ venustas, cùm essent homines facultatibus iisdem, quibus nunc, prædìti; videntur in imitando fuisse alieni à sensibus, ita vix quidquam, quod esset tolerabile, reliquit illa ætatis mediæ diuturnitas.

Ex tanto autem artificum nostrorum numero, quî fit, ut cum alii naturæ varietatem plurimâ ingeniorum varietate imitentur, sit aliorum imitatio unius formæ. Id propositum propè omnibus est ut militarem quandam urbanitatem speciemque libertatis ac negligentiæ sibi elaborent, & arte confingant. Unus omninò eorum stylus, idem morbus,

Morbi causa eum virum æmulari qui cum plausu hoc genere dissimulationis esset usus. Sic æmulantur Pindarum quos naturam sequi oportuit.

Ubicumque cultûs & artis exemplaria defuerint, poterunt illic artium studia consopiri aut emori. At viri illustres ita solent suis exemplis artes incitare, ut eas tamen mancipio & nexu non faciant suas; multò minùs uni nos formæ in servitutem adjudicent.

Græciæ Italiæque monumenta incendio & ruderibus obruta, vel procul ab hominum conspectu delitescentes libros, neque vidit media ætas, neque, sicubi conspicerentur, æmulata est, venandi assiduitate & armorum studiis ferox. Litteras, artes, ac civilia quæque decora neglexit. In pacis otio belli retractare imaginem, fuit ea complurium sæculorum laus & unica industria.

Inventâ tandem typorum metallicorum arte fecit librorum copia ut ne alia jam veterum opera contemtui haberentur, sed curiosè potiùs effoderentur hic & illic ædificia, statuæ, cœlaturæ, & omne monumentorum genus. Invasit illicò plurimos cupiditas imitandi, & ardor mentis ad gloriam,

Quod quâ fortunâ nostri attentarint, statui facilè potest.

Quisquis imitatur, definiente Horatio, vel suum præstat opus doctè & verè, vel abjectè ac serviliter. Doctus ille imitator qui vitæ & morum respicit exemplar, & veras inde deducit in imitando voces, veras pro vicissitudine naturæ & societatis imagines. Servilis imitator est quisquis artificis captat similitudinem, sibi proponit opus, affectatur manum.

Accingant se operi scriptores duo. Meditetur Adelphos alter, alter Tartufium. Rem providet uterque, & versat sæpe multis modis. Tum quæcumque aut ex naturæ legibus, aut ex hominum vitâ suppetunt in eandem rem; ea sic partiuntur, sic sedibus justis locant; ut colorum instar, ipsâ se oppositione illustrent & mutuò adjuvent. Quid? si floreat id ætatis vir singularis in scribendo elegantiæ, cujus orationem & subtilem & liberrimam simul ament omnes, æmulenturque certatim: num propterea velles Molierium Terentiumque relictâ suâ imitandi formâ, persequi alienam industriam, & affingere suis personis illam urbanitatem aut recentissimas argutias. Imitator in-

geniosus nec pueriliter nec intempestivè placere gestiet. Fac pulchra esse quæ laudantur. Quid hoc ? si neque sunt apta loco, neque naturali rerum serie procreantur. Veram etiam pulchritudinem spernit & aversatur scriptor prudens, quæ rei præcipuæ imaginem tegit aut minuit : nec patitur extare quidquam quod astutiâ & splendore ambiat videri cum primariæ pulchritudinis dispendio. Sic ei subservit potius ut ne vulgaria quidem dedignetur, si elici inde potest ornamentum ingenuitatis, si pictura morum, si affectionis plena vox, si in rem gestus efficax.

Suadet altera causa, nisi & jubet, simplicissimè dicta præponi, splendida posthaberi. Sententiæ scilicet acutæ, non acutorum hominum sensus prætervolant, & sunt odiosæ nôn paucis cogitandi nempè molestiâ aut hallucinandi opprobrio.

Causa denique potissima vitandæ subtilitatis, quod tali auxilio non promoveatur imitationis opus. Illa nuspiam majori est obnoxia periculo, quam cum facto velut agmine cultores artium, ei viro sese dedunt & astringunt qui magnum in litteris, in picturâ, in musicâ nomen habeat, ejusque certatim

volunt videri & esse similes quàm maximè. Non est enim vera imitatio definita unius viri opinione, more, & nomine, sed ad omnem decentiam flexibilis, easdem cum naturâ sine fine subit formas & vices.

Quantum nocuerit ipsi Cornelio pervulgatum illud sui temporis acumen ex Roderici soliloquio satis liquet. Erat autem ambitio hujus ornamenti & reverentia consuetudinis absurdior quàm ut vir perspicacissimus in nugis ejusmodi perseveraret. Resipiscere tum maximè visus est cum Raciniana simplicitas Græcorum exemplis exculta cœpit omnium animos eâ tandem opinione imbuere nihil esse in litteris pulchri nisi quod naturam & nostros affectus imitatione redderet.

Jam centum & plures anni numerantur ex quo legi solent, ac ne vix quidem senescunt Malherba, Cornelius, Pascaliusque & quotquot gallicam linguam formæ semper unius tædio & consuetudinis captivitate liberarunt. Ex illâ ætate ad nostram, res eorum fragiles omninò sunt, & caducæ qui arripuerunt similitudinem quandam clarorum virorum; florentissimæ verò eorum qui sunt ingenio suo & naturæ

materiarum obſecuti. Hâc arte laudantur & laudibus in dies creſcunt Bolæana Rheni trajectio, Phædra, Miſantropus, Mutationum inter Proteſtantes hiſtoria, Sex dierum opus. Erit autem docta ſemper & vera imitatio, ſi pulchritudinem artifex à materiâ depromit omnem, experientiâ duce, guſtu judice.

Qui autem viri etiam illuſtris veſtigiis inſiſtunt, eos durius increpans, poetices, eloquentiæ, & ſapientiæ litterariæ interpres, *ſervum pecus* appellavit.

Nimiam hanc ornamentorum admirationem, & quaſi pruriginem ſimilitudinis auxit in pluribus noſtrûm non ſatis cauta magiſtrorum inſtitutio & ratio docendi. Utebamur tunc temporis nondum certo judicio. Mos ætatis legendo percipere, non tam totius virtutem rei, quàm partium vel etiam hujus & illius particulæ qualemcumque pulchritudinem. Sic infantuli recto ſtabilique intuitu nihil vident. Si quid occurrerit ſplendidi, errantes oculos huc vertunt, hic figunt. Fulgore ſententiarum cum facilè caperemur, modica interim ordinis cura : decentiæ vix aliquis ſenſus : quidquid videretur dic-

tum subtiliter, aut elatum ad pompam, id unicè admirari, seponere, imitari. Huic periculo subjacent rudimenta veterum linguarum. Eo liberari possunt.

Sit primus eo fine & diuturnus usus sermonis simplicissimi ac præcipuè colloquii familiaris. In aliud longè tempus rejice tragicos & oratores. Fabulis tunc historicoque stylo, & comicis cum delectu, locus. Nec tu solitarias inde sententias aut præcepta morum detraxeris, quæ oderit ætas omnium rerum inscia, sed cum eorum utilitatibus conjunctos eventus & elegantissima colloquia, quorum omnium possit puer universam & intuendo capere, & enarrando reddere pulchritudinem. Mirum quam alliciat legentem ea voluptas, exacuatque ad rectè cogitandum. Videt & observat quo vinculo cum priori parte cohæreat pars altera; quo istæc impedimento obvio retardetur; quo eventu nodus absolvatur; quî ex illo denique partium vinculo & incessu species ipsa pulchri prosiliat. Cicero, Paterculus, Gellius, Frontinus, Valerius Maximus, historici propè omnes sic narrant singulos eventus, sic virorum illustrium mores pin-

gunt, ut partes ejuſmodi emoveantur facilè ſuis locis, & quaſi totidem tabellæ tractentur ſejunctim. Summâ pariter cum voluptate hujus ætatis, & ſine minimo caſtimoniæ incommodo, dictitari, aut typis edi poterunt Plautina & Terentiana colloquia, ſeu ſelectiſſimæ ſcenæ, quarum habeat unaquæque ſuam quamdam actionem, ſuos mores, & mobilem pro conditione vultum. Hic ſervum frugi edocet pater quid fieri velit quo libidinoſum filium ſervet, & reducat in viam? Vult illic adoleſcens de ſervo ſumere ſupplicium, cujus ſe conſiliis impeditum ac miſerum putat. In ſcenis aliis nunc rixantur ſervi duo; nunc piſcator cum mercatore litigat; alii aliud agunt. Juſta in his omnibus actio eſt, & clauditur ſpatio brevi: neque rerum numero animus obruitur. Omnes deinde validius oblectabit ac melius morabitur eventuum ſeries jam amplior, ſive acta referatur, ſive agatur in ſcenis Mentem ab exordio arrigit oblata ſpes; affligit objectum periculum; nodi ſolutio exhilarat.

Ubi venietur ad altiora, tunc verò quâ regulâ utimur in dijudicando vel oratoris, vel poetæ, vel pictoris uni-

verso aliquo opere, eadem nos ducet regula nec fallet in minimis excutiendis partibus. Neque ullibi locorum est alia judici operum sapiendi proposita lex, alia autori. Placebit opus, placebit operis pars, ubicumque Artifex

1. Ea verè imitatur
2. Quæ sint pulchra per se,
3. Quæ præsertim utilia.

Pharsaliam (exemplo illa sit) legere qui volet, eum necesse est legere per partes, ac de partibus ferre judicium. Occurrent statim perstringentque legentis oculos ingeniosissimæ sententiæ, toto passim opere cum plurimo apparatu distributæ. Ex duabus disce omnes.

In ipso limine Romanis gratulatur Lucanus quod per damna, per cædes Julium Dictatorem sint nacti, quoniam nullâ aliâ ratione ac viâ obtineri potuit Neroniani temporis felicitas.

. . . . *Scelera ipsa, nefasque*
Hâc mercede placent.

Neroni deinde autor est ut cum, relictâ terræ statione, cœli exercebit imperium, velit in neutro polorum, sed in æquatore cooptare sibi sedem. Eique vir prudens causam justæ monitionis affert.

Ætheris immenſi partem ſi preſſeris
unam,
Sentiet axis onus.

Periturum ſic mundi æquilibrium eſt: vide verò utilitati publicæ quam loco ac tempore Poeta conſuluerit. Sunt enimverò hæc & alia mille ſtultè dicta non pulchrè. Neque hic eſt imitatus adulator quidquam quod eſſet in rerum naturâ, non quidquam quod fieri poſſet aut optari; ſed ſpecies vaniſſimas & ſomnia cerebri malè habentis.

Jam ſi de operis totius ordine judicium eſt, primum crimen quod ille hiſtoriam oratione metricâ expoſuerit, non ſumſerit poematis juſti materiem, quam poſſet pro ingenii arbitrio & epopϾ ritu contexere. Habebat in ſe pharſalia dignitatis plurimum nec minus utilitatis. Eam verò Lucanus exigit ad hiſtoricam rerum ac temporum fidem: non auſus eſt Epicorum more quidquam comminiſci ex veriſimilitudine, aut addere nativæ pulchritudini, poeticæ novitatis admirationem.

Huc accedit quòd hiſtoricum ſe non poetam profeſſus, hiſtoriæ leges neglexit & modum. Quidquid eunti fuerit

obviam, comperit homo quod admiretur & raptus extrà se, non continet sua sensa, nec nisi inaudita ructatur & sublimia. Rem Lucane, non te, non sensiculos tuos proferres, quos, qui sint, hic non quæro. Oratoris est, non historici, proferre quæ amet, quæ admiretur, quæ oderit; nec alio fine verba facit orator quam ut astantes protrahat in opinionem suam. Quamquam & id fieri cautè necesse sit. Volumus eum scilicet esse recti deffensorem, non ostentatorem sui. Trajanum amant omnes & laudibus efferunt: at odio dignus Trajani laudator qui velit in eâ arte ostendere quam sit callidus, neque huic suæ vanitati velamen obducat.

Sive autem quis historici sustinet partes, sive sustinet poetæ, uti erit importunum si legentis animum obsequentem rerum filo, festinantemque semper ad eventum, aliò avocet parum verisimili episodio; num creabit minus molestiæ si te videatur omni loco admonere hic esse aliquem qui scribat, quem materie omissâ, identidem oporteat admirari? Sic sentimus in omni materie prodeuntem cum suis plebeiis facetiis Plautum, cum politicis mysteriis

Tacitum. Hic sanè cùm esset vir consilii non mediocris & reconditæ doctrinæ, quâ tamen fide, quâ specie veri, tantum prudentiæ & huic, & illi, & omnibus ascribit? Erat, quæso, rimatus ille hominum voluntates? An quo quasi typo acceperat formam Taciti mens, eodem principum omnium mentes acceperant & suam?

Hâc jactantiâ, hoc improbo amore sui non laborat Homerus aut Virgilius: eo morbo non inficitur Terentii stylus, aut Molierii. Nec, si legis Livii Annales, aut nostratis Flori (*a*) mentem subit ulla recordatio scribentis: ita te res ipsæ morantur ac tenent.

Sunt quibus parum arrideant Livianorum Imperatorum extemporaneæ orationes, & videatur artem sapere labor ejusmodi, non libertatem militarem. Defensione nostrâ non eget vir maximus: neque dubium esse potest eum, si peccavit, peccasse ex industriâ, ut facilè obrepens longo in opere somnus, arte aliquâ & novitate, depelleretur.

Ab sincera naturæ imitatione, ab communis rationis sensu, & affectuum sua-

(*a*) Claude Fleury.

vissimâ commotione nunquam discessum longiùs est quàm cum artifices id sibi negotii crediderunt imprimis dari ut in suo scribendi genere plurima significatio esset eruditionis, industriæ, & acuminis. Est autem illic non natura, non vultus ipse, sed humanæ cuti superinducta crusta & alienus fucus.

Depravat præsertim ea præpostera sui ostentatio, eloquentiam, poesim, & musicam: siquidem est optimi artificis eadem conditio quæ Architriclini: bona benè administret uterque: commune hoc utriusque opus. Neuter tamen audeat inter ministrandum injicere mentionem sui.

Nimius ille ornamentorum usus non tam ex ipso vanitatis fonte, aut gloriolæ cupidine proficisci sæpè solet, quam ex assiduâ in teneris poetarum lectione & imitatione. Quæ imitatio non potuit non obesse sermonis usitati gustum formamque nondum adepto. Hinc pro uno oratore historicoque probabili centum numeramus poetas aut carminum fabricatores. Frequenti autem poeticæ orationis, ante tempus, usu, gliscit in scribendo cura ornamenti & assidua consuetudo figurarum. Qui mos, complurium latinitatem corrum-

Depravatæ pulchritudinis causæ præcipuæ.

pere solet, ita evadit illa, si metri rationem excipis, poetica, turgens, ac propè gigantæa.

Manavit ad linguam quoque nostram ea contagio. Nostratibus quidem jamdudum displicet ille declamatorius tumor: toleratur autem nimis patienter epigrammatica subtilitas: & toties exagitatæ argutiæ sic revivíscunt, sic se insinuant in omne dicendi genus, ut exercituum dux & custos ovium epigrammatica pariter effutiant.

Sunt & alia quæ naturalem cogitandi simplicitatem ad minimè necessarios conatus detorqueant. Multis contigit, ut, dum volunt studia juventutis promovere pro viribus, multa bono animo, multa etiam verè docerent, scriberentque de arte ingeniosè cogitandi; aut inter legendum, ad ea quæ præcellere viderentur, animum juberent adverti, & continuò digitum quoque aut etiam imitandi signum & invitamentum.

In sententiarum collectione quid periculi.

Licuit sanè, imò & oportuit sententiarum varia genera definiri: tum sicubi legentibus occurreret sententia aliqua sublimis, aut ingenua, aut subtilis, aut elegans, aut affectionis plena; statui commodè poterat utrum propo-

fito, personis, loco, adjunctis denique omnibus unaquæque aptè conduceret. At videtur fieri parum prudenter, si in his præ admiratione magister obstupescit, si præ gaudio inclamat: *pulchrè*, *benè*, *rectè*; si eadem jubet colligi seorsum; si proponit ad imitandum præ cæteris. Ex quo id efficitur mali, ut reliquis orationis partibus & sententiis quamquam cum materiâ perbellè consentientibus, inuratur nota quædam & opinio mediocritatis. Subnascitur paulatim illa libido assurgendi ad splendida & sublimia. Res esse videtur vix alicujus pretii, scribentem naturali pulchritudine placuisse, nisi negotio & arte captet astuti nomen, nisi scateat astutiis & ingenio difluat.

A vero autem sapiendi tramite facilè exerrabit quisquis in veteribus evolvendis aucupabitur ea unicè quæ fuerint singulariter, splendidèque dicta. Sint enimverò illæ sententiæ conspicuæ præ cæteris. Viciniam toto quasi capite superent. Ridiculus tamen omninò est qui eas velit imitatione facere suas. Neque enim ex pulchris episodiis benè poeticèque scriptis, epopœa bona enascitur; neque ex pluribus sententiis, quanquam speciosis,

quanquam catervatim congeſtis enaſcitur vera eloquentiæ, poetices, aut hiſtoriæ pulchritudo.

Tentet celebrium ædificiorum admirator architectonicus, chorum Belvacenſem, Ambianenſem pronaum, templi quoque Remenſis propylæum externumque ambitum compingere, ſingula imitando, in unum ædificii corpus: præſtabit opus multorum judicio abſolutum, rei veritate abſurdiſſimum; cum earum partium inter ſe nulla ſit aptitudo, nulla juſta ſocietas. Jam minora his etiam partibus ornamenta, altare, lampades, aulæa, ſuggeſtus, & ſi qua ſunt illuc aliunde, optimi cujuſque exemplaris imitatione traducta, quid quæſo ad conſtituendam ædificii unitatem & laudem allatura ſunt auxilii? In eloquentiâ pariter, in poetice, & muſicâ, non cohærent partes diſſimiles, hinc & inde conquiſitæ: neque ponitur inde totum ſimplex & unius formæ. Sed in omni materiâ ſive ad totum reſpicitur, ſive ad minutiſſimas partes, ex naturali rerum conſecutione, & affectuum decentiâ exurgit ſubita pulchritudo, nullibi locorum conſpecta prius, nuſquam aliò transferenda. Jucundè affe-

cerit hæc & illa ſententia mentem tuam: judicii exercuerit acumen: collata cum aliis eminere videatur, & ipſas deprimere: functa miniſterio ſuo eſt. Idem autem inſtrumentum alteri machinæ fruſtrà coaptare voles. Neque aliorum commiſſuras facilè patietur, neque motum aut recipiet aut præſtabit.

Moralium generaliumque ſententiarum ſit parcus uſus.

Capi facilè ſolent juveniles animi nunc utilitate nunc brevitate moralium præceptionum, quas undique propterea detrahunt & in dies conſarcinant: paulatimque vel inopinantes amant, & aſſueſcunt ſingularia quæque generalibus Catoniciſque dictis enunciare: quod ſententioſum genus, ſi quis eo frequenter utitur, tantum abeſt ut placeat; quin & illuſtribus nonnunquam ingeniis lectorem minus propitium fecerit, ipsâ ſimilitudinis & contentionis importunitate. Iſtud incommodi creat Seneca legentibus; creant quotquot noſtratum, Senecæ more modoque generalia ſemper uſurpant, etiamſi orationis numeros, & aurium voluptatem Senecæ more non neglexerint. Habet eorum dicendi genus rectitudinem, dignitatem, & ubertatem.

Sed moleſtus illic apparatus : ſuique ſemper ſimillimæ gravitatis conſtantia moleſtior.

Eſt ſanè illorum oratio ſuavis, nec videtur ullatenus operoſum ipſis eſſe ſuum ſtylum vertere pro arbitrio in alias formas, ut etiam rapiant nos in admirationem ſui, ſi quandò rerum ſummis generibus omiſſis, omiſſâ metaphyſicâ auſteritate, in eloquentiâ imaginum populariter conſiſtunt. Data eſt eorum induſtriæ laudum juſta merces. Admonitos illos interim oportuit nullius omninò ſcriptoris eſſe opera ſatietati propiora & faſtidio, quam quibus ineſt ingenii quædam profuſio, & ubique locorum ingenioſa ſententia ingenioſam ſententiam premit. Naturæ ſimplicior modus & minimè operoſa progreſſio eſt.

Aliud rerum imitatio, aliud ſtyli.

Quod ſi meritò exploditur ambitioſa omnis & anxia placendi cupiditas; ſi præſertim videtur eſſe ſervilis ac miſera omnis imitatio alieni operis; alienæ conſuetudinis, quo jure potuimus anteà opinari aut ſtatuere, tutiſſimum adhiberi poſſe ſtyli exemplar, in colloquio familiari Terentium videlicet; in rebus aut forenſibus aut philoſophicis Ciceronem; in hiſtoricis Li-

vium? Quid enim? ſtylum eorum poterimus æmulari, quin & cogitandi atque etiam imitandi modum?

Ornat ſanè nec mediocriter juvat ſermonis forma imitationis formam. Aliud tamen ſtylus; aliud imitatio: & poterit quis optimum ſtylum adipiſci, qui ſit ſcriptor frigidus aut minimè verus imitator. Non equidem deſipit qui ſtylum vel latinè vel gallicè laudabilem parat. Ad eam autem rem neque opus ingenio neque tantâ pingendi ſolertiâ, ſed recto ſenſu, & rectè ſcribentium plurimo uſu. Sunt omninò Ciceronianæ Pauli Manutii epiſtolæ. Sepoſueris eam tantiſper latinitatem: in homine quod laudes, jam ſupereſt nihil. Patruvio & coætaneis aliquot, laudi datum quod gallicum ſermonem tractarent nec impurè nec ineleganter. At ingenii vis nulla: nulla rerum utilitas.

Styli pulchritudo, & uniuſcujuſque linguæ propria venuſtas res eſt originis propemodum fortuitæ: neque viribus invenitur ingenii, neque ab ipſo communi hominum ſenſu proficiſcitur. Senſum illum facilè percipiunt omnes; linguæ lepores & formam non item. Fluxit ille ſermonis decor ab in-

sitâ gentis indole, ab amœnitate cœli, & civium conditione, urbanitate, libidine. Qui stylus cum sit ipso usu mundus & elegans, in multis etiam incogitantibus; eo sanè non carebunt qui usum plurimum studio & arte confirmant. Athenarum veterisque Romæ sermo, linguæ Italorum pariter & Gallorum, cum sono ipso placerent, & omni copia locutionum per se abundarent; hoc primum sortis beneficium altero sortis munere & favore cumularunt, ut in omni genere dicendi à viris non vulgari ingenio florentibus exercerentur. Quisquis igitur ad linguæ proprietatem volet accedere, scriptorum hujusmodi sermonem observabit & usu assequetur eorum sanè præ cæteris, qui eodem genere scribendi, quod sequitur ipse, claruerint.

Fortuitam illam linguarum pulchritudinem, quam à seipsâ ratio humana non progenerat, eadem ratio suadet uti repetamus ab iis quorum arte plurimum incrementi & roboris assecuta est. Ex quo efficitur ut qui linguam nondum callet, & propriâ suâ scriptitatione sibi cudit; eam aut loquatur imperitissimè, aut ne intelligat quidem.

Ubi autem res agetur non ſermo: ubi pingenda erit, & imitando adducenda ob oculos; ab optimis tum ſcriptoribus omninò nihil deduces in tuum uſum, non ſcribendi materiem, non imitandi formam, non ſententiarum ſimilitudinem. Naturam ſequere; intuere materiem. Ingenio univerſam introſpice: ſic tuam fac, ut ingenii fœtus eſſe videatur.

Sermonis proprietas & pulchritudo ſtyli, reſtringitur intra linguæ limites. At imitationis pulchritudo ad omnium gentium linguas interpretatione traducitur. Terentius, Daceriâ interprete, ſuæ latinitatis laude excidit, non ſuæ imitationis ingenuitate. *Terentii* autem *Chriſtiani* ſcriptor, quamquam ſuas periodos Terentianis adeò aſſimilarit, ut videatur ad eam latinitatem utcumque pertingere; at neque ingenuitatem, neque lepores aſſequitur, imitandi ſolertiâ deſtitutus. Quî enim Terentianam ille varietatem ſaperet & artem, in pingendis hominum moribus, ætatum ſtudiis, & conditionum vicibus; qui eſſet earum rerum maximè rudis?

Videndum igitur labore noſtro quid detur conſequi & quid non detur. Nullus hominum ſuo labore ingenium,

quo careret, obtinuit: nullus arte procudet illum propè divinum ardorem cogitandi, & cogitata fideliter adumbrandi; nullus ordinis virtutem, & solertem partium situm; nullus aptissimas loco ac tempori sententias, quibus quasi suis coloribus singula rei membra exhibentur. Quæ omnia si in temetipso non repereris, aliàs frustrà requires.

Nec, si quid cui benè cesserit, & celebritatem conciliaverit, idcirçò te hominis discipulum profiteberis aut pedissequum. Gaudeant suâ famâ scholæ omnes. Magni nominis artificibus suus servetur honor: at in imitandi genere omni, ut in picturâ, nos decet esse naturæ ac veritatis discipulos, non Gallicæ consuetudinis asseclas, non Belgicæ, vel Longobardæ.

Licuit semperque licebit in litteris suum unicuique labore & studio adornari stylum, sermonem omni, quantum fieri potest, corruptelâ purgari, & ad materiæ hujus aut illius formam accommodari. Nullius labori non conceditur justam rerum scientiam adipisci operum comparatione & concertationibus artificum. Laboris denique præcipua merces

nosse

nosse veterum temporum historias & nostri; nosse mores hominum, nosse omnem virtutis, & vitæ honestatem. Non fluet tamen è stylo, aut eruditione, non fluet ex ipso sapientiæ fonte vera imitatio. Et quò magis erit sapientia tua cum rectâ ratione ac naturâ consentiens, eò minùs videri voles cujusquam styli affectator, & unius formæ.

Huic placet acuta, illi grandiloqua oratio. Capiuntur alii floribus atque ornatu. Gaudet alter stylo juvenili & expedito; alter gravi & sententioso. Styli formas, quotquot sunt probabiles, lauda: prosequere nullam. Quisquis ponit in alieni operis aut styli simulatione spem nominis, abest à verâ pulchritudine artium longissimè: evagatur ille extrà imitationis terminos, & gloriolam quam captat, amittit eo ipso quod à materiâ suâ diversum quid objicit oculis, & insipienter ostentat. Enascitur illâ scilicet ambitione falsa pulchritudo. Nec tam latè splendet factus affabrè stylus, nisi quod arte plurimâ sese minioque sustentat.

Atenim scribendi formam, si quam probaverit usus & consuetudinis lex, fas nemini sic perstringere & elevare verbis. Nec satis consulere videtur aut

publicæ voluptati aut artium ſaluti qui non omni laude dignum exiſtimet hodiernum ſtylum, minimè verboſum, ſolutum vinculis, agilem, præcipitem. Non alio uti jampropè omnibus mos, & maximas plerumque res voculis tribus aut quatuor ſecant.

Ego neque illam ſpeciem ſermonis, neque aliam ſperno cujus admittit uſum natura & juſta imitatio. Quid eſt autem à naturâ & rectâ imitatione magis abhorrens quam ut, fortè tolerabilis in familiari libertate, dicendi levitas uſurpetur ex arte in ſeveris etiam argumentis, nec refugiat judicum conſeſſus, nec ab ipſo ſacro ſuggeſtu exulet. Sic ſcriptores benè multos idem ſtylus, ut mulieres propè innumeras fucus idem conſimiles facit.

Artium ſapientia ſeu naturalis ille omnium ſenſus, quem Romani guſtûs nomine ſæpè ab hodierno ſecernimus, eo agnoſcitur, quod ſoli naturæ obtemperet, ejus vultum intueatur unicè & inceſſum imitetur. Quot ſunt igitur naturæ converſiones & ſtatus animorum, totidem ſermonis, totidem ſtyli Romani, & naturalis eloquentiæ vices. Summa ſanè pulchritudo ſtyli hujus; ubi nempè ſervitus omninò

nulla, sed plurima pro re ac loco varietas.

Pastoralia cecinerunt Segresius & nobilissima Ligeria *(a)* benè ac Romanè. Mores hominum pingunt Bruherius & Adisso graphicè & Romanè. Christiana scribunt Bossuetus & Burdalovæus magnificè & Romanè. Unâ illi veritate imaginum similes, mirum quam pro variâ materiarum facie in formas varias abeant, & in eodem sæpè genere quantus omnium sit, at inter ipsos tamen dissimillimus lepos. Ea est naturæ fœcunditas; & quamquam sit imitari naturam suprema & una omnium lex, uti naturæ multiplex est in omni materie vultus; sic non potest exhauriri veræ imitationis varietas.

Quæcumque sit igitur styli recentioris laus & fortuna, eo ipso peccat quod sit unus, & hac perpetuâ similitudine locupletissimam naturæ atque imitationis diversitatem absumat.

Nolim tamen eum stylum suâ justâ laude defraudare. At quam multi eo abutantur, id unum edisserere animus est.

Meridionales Galliæ populi, Vascones præ cæteris, ingenio solent esse alacri & igneo. Sermo iis fractus, & — *Styli recentioris origo.*

(a) Antoinette du Ligier des Houlières.

pro animorum impetu in plures celeriter partes exiliens. Montanii famam non maculat illa suæ gentis indoles, confidentia sola temeritasque judicandi maculavit. Mos illic ordinem rerum facilè abrumpere, ad alia evolare, & ubi se spes aliqua facetiarum obtulit, illuc divertere, vix ullum facere jocandi ludendique finem. Jamdudum est ex quo placere cepit in colloquiis nostris alacritas illa & sermo vinculorum expers. Nunc libros ipsos & omnia dicendi genera invasit idem stylus, & si sonandi rationem excipis, jam Vasconicè dicturi sumus omnes, non Gallicè.

Qui nostrates inter benè nati suum sermonem materiis omnibus, egregiè, cum libuerit, accommodant, possuntque sectari pro loco ac tempore, nunc jocos, nunc gravitatem, hic nervos, illic lævia, indulgere etiam affectibus, aut assurgere ad grandia, consuetudinis abripi solent impetu propè omnes: levitati student, quasi sit orationis unica laus videri agilem, levem, præpetem: & quæ ingenii sapientiæque aliquo ductu ex ordine materiæ ac pro rerum modo scripserant; deinde dissecant frustulatim, & ex Gallicis Vasconica faciunt. Quòd si secus fiat,

haud longè abfuturum à se infortunium putant. Habebuntur tardi & hebetes. Volent frustrà miscere se acutorum hominum formoso gregi.

Hem! Serva. Viden qui spiritus eos abripiat. Ardent: erumpunt: scintillant. Quæ dici necesse est, ea reteguntur mediâ sui parte. Reliqua pars latet. Succedit ænigma ænigmati, & non modicæ brevitati major brevitas. Ingens facundia syllabis aliquot efferre sua sensa, non periodis. Qui alios hoc genere dicendi provocat, & qui cum provocante congreditur, confestimque volatica volaticis opponit; videntur esse quantivis pretii: emicant aquilarum instar & pari feruntur volatu. Viam cœlo affectant. Ho! si sic liceat ire, si saltem subsequi è longinquo! nec mora: grex imitatorum sedere, scribere, transvertere calamum, recidere orationis nexus omnes, & imitari otio dissolutissimam illam dicendi celeritatem.

Ecce autem miracula & ipsi pandunt. Non senserant hactenùs eo genere quid possent, aut in eo quantùm esset opis ad gloriam. Quod fuerat ingeniosè dictum de recentiori philosophiâ & meliori tandem rationis usu, id confidenter de suo stylo usurpare

amant. Se & ſua laudantes audire operæ pretium eſt.

„ Voilà le ton du ſiécle : il faut le „ prendre, ou n'être plus de ce mon- „ de. Trouve-t-on quelqu'un qui plai- „ de encore pour le plein-chant de „ Lully ? Seroit-on bien venu à faire „ revivre la Proſe lyrique de Quinaut ? „ Nous louons nos devanciers d'avoir „ tendu au parfait : mais nous y ſom- „ mes. Qu'on ne nous rebatte plus „ les oreilles de la juſteſſe & de l'har- „ monie de Boileau. Nous ſommes las „ d'entendre prôner la douceur & les „ graces de Racine, la naïveté de la „ Fontaine, l'aménité de Fénelon, l'é- „ loquence nerveuſe de celui-ci, l'en- „ chaînement des idées de cet autre. „ Que ſont-ils vis-à-vis de nous ? du „ plomb contre de l'or. Ils nous mor- „ fondent. On s'appeſantit à les lire. „ C'en eſt fait. Nous avons rompu.

„ Eſt-ce à tort ? ces bonnes gens du „ ſiécle paſſé étoient trop prolixes. Ils „ diſent trop tout ce qu'ils veulent dire. „ Il y a plus. Avoient-ils bien réelle- „ ment de l'eſprit ? On n'en ſçait rien. „ Ils ont peur d'en montrer, ou ne nous „ en ſuppoſent guère.

„ Leur ſtyle étoit ſi lourd, leur tour

» d'esprit si bourgeois. Nous sommes » dans une toute autre position. Ils » commençoient toûjours par regarder » en bas : ils ambitionnoient d'être en- » tendus de la multitude. Nous autres » nous avons l'œil à ce qu'on pense au- » dessus de nous. Platon nous entend » & nous goûte : peu nous importent » les jugemens du reste de la terre. On » ne parloit ci-devant que d'étudier le » goût le plus général. C'étoït pure » bassesse. Hé ! que nous fait à nous la » multitude ? Les génies supérieurs sont » faits pour s'affranchir. Il faut aller » en tout au délicat, à la fleur de l'es- » prit. On se sent : on a des aîles, & » on vole.

» Vous vous plaignez. Vous ne pou- » vez nous suivre. Tant pis. Rampez » donc. Votre goût Romain ne bat » plus que d'une aîle. Il tombe : c'est » une chose décidée. Le nôtre est l'u- » nique bon. »

De tot minutulis membris & propè pulverulentâ eloquentiâ judicet lector, & statuat utrùm nos justa ulla necessitas detrudat ad ea quæ neque naturæ, neque nostri ingenii erant. Eum morem, vel sequantur qui ab ineunte ætate sic insueverunt, aut deliberatione

habitâ, prudenter exuant. Triſtiſſimi verò in litteris augurii eſt ſcriptores hodiernos quod natura non dederat, id ſtudere ut habeant induſtriâ, plauſu excipi nugas, ac vanitate conſuetudinis optimorum operum peſſumdari vera diſcrimina, & facultates emori. Tanti vulneris remedium eſt, ſi, quod minùs ac minùs in dies fieri ſolet, erunt linguæ veteres in honore, ac deliciis; ſi, ut in pictùrâ, ſic in litteris ab antiquorum operum admirabili pulchritudine, oculi non dimoventur. Selectiſſima illic natura, libera nempè nævis omnibus, & ſummo artificio imitationis expreſſa.

Nec propterea quæ noſtra ſunt, deprimere animus. Imò verò ſi quid vel in tenui pulchrum, id minimè dedignamur, & libenter laudamus poſitum ſuo loco. Sunt rerum theatralium non inelegantes tabellæ. Sunt & crepundia nec ſine pretio, nec ſine arte. Quid tum? ſapere tibi videntur qui pantaloniana depereunt, & ſplendore crepundiorum ſtupent.

Spes eſt plurima litteratos non minùs quàm pictores id Romæ veteris uſu, exemplis, & familiaritate ſemper adepturos ut pulchra dignoſcant, ut

magni

magni faciant quæ ſolida, & omnium temporum ſunt; at quidquid eſt extrà naturam, quidquid extrà fidem imitationis, illud à ſe repudient.

FINIS.

FAUTES A CORRIGER.

PAge 34. *derniere ligne*, Gaſcogne, *liſez*, Gaſcone.

Page 121. *lig.* 2. movetur: opus ipſa, *liſez*, movetur opus: ipſa.

Page 126. *avant-dern. lig. de la Note Grecque*; *liſez*, ἐπακολȣθεῖν.

Page 128. *lig.* 21. vi a, *liſez*, viſa.


Page 134. *lig.* 11. redemeris, *liſez*, redemerit.

Page 188. *lig.* 18. nulla diſciplina, recto, *liſez* a nulla diſciplina. Recto.

Page 231. *lig.* 8. Blanduſeæ, *liſez*, Blanduſiæ.

Page 234. *lig.* 13. legum, *liſez*, rerum.

Page 245. *dern. lig.* argutias. *Liſez*, argutias?



APPROBATION.

J'Ai lû par Ordre de Monſeigneur le Chancelier un Manuſcrit intitulé, *La Mécanique des Langues, en Latin & en François*, je n'y ai rien trouvé qui m'ait paru devoir en empêcher l'Impreſſion. A Paris ce 20 Octobre 1750.

VATRY.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien-amé le Sieur PLUCHE, Nous a fait expoſer qu'il déſireroit faire imprimer & donner au Public un ouvrage qui a pour titre, *La Mécanique des Langues, & l'Art de les Enſeigner*; s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilége ſur ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant: Nous lui avons permis, & permettons par ces Preſentes, de faire imprimer ledit Ouvrage en un ou pluſieurs volumes, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de ſix années conſécutives, à compter du jour de la datte deſdites Preſentes. Faiſons défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres perſonnes,

de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obeissance; comme aussi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun Extrait, sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement ou autres, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles; que l'impression dudit Ouvrage sera faite dans notre Royaume & non ailleurs en bon papier & beaux caractères, conformement à la feuille imprimée attachée pour modéle sous le contre-scel des Présentes, & que l'Impétrant se conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril 1725. qu'avant de l'exposer en vente, le Manuscrit qui aura servi de copie à l'impression dudit Ouvrage, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU, Chancelier de

France ; le tout à peine de nullité des Présentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Exposant, ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenue pour dûement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Sécretaires, foi soit ajoutée comme à l'original : Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, nonobstant clameur de Haro, charte Normande & Lettres à ce contraires : CAR tel est notre plaisir. DONNÉ à Versailles le quatorziéme jour du mois de Février, l'an de grace mil sept cent cinquante, & de notre Regne le trente-cinquiéme. Par le Roi en son Conseil.

Signé, SAINSON.

Registré sur le Registre XII. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N° 391. Fol. 271. conformément au Réglement de 1723. qui fait défenses Art. 4. à toutes personnes de quelque qualité qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre à leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs ou autrement, à la charge de fournir à ladite Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris huit Exemplaires de chacun prescrits par l'Art. 108. du même Réglement. A Paris le 17. Février 1750.

Signé, LE GRAS *Syndic*.





